# COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.

VOLVMINIS XXVIII. PARS IV.

LIPSIAE, MDCCLXXXVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
ondini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Elph. Balfour, Lugd. Bat. ap.
mes Luchtmann, Parisiis apud Barroi senior, Venetiis apud Io. Bapt.
Pasquali, Milano apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud
Laurent. Giraud, Florentiae apud Ios. Molini, Holmiae
apud M. Swederum.

I.

Journal de médecine, chirurgie, pharmacie, etc. dédié à Monſieur frere DU ROI. Tome LXIII. 1785. in 8. 612 pagg. Tome LXIV. 1785. 684 pagg. Tome LXV. 1785. 720 pagg.

i. e.

Diarii ad medicinam, chirurgiam, pharmaciam facientis anni 1785. tomi tres. —

Quum priores medicinales anni diarii noſtri duobus tantum tomis continerentur, regiminis iuſſu editori, ab ineunte anno 1785. deſcriptiones noſocomiorum ciuilium in vniuerſa Gallia et obſeruationes in his noſocomiis factae tam copioſae, communicatae ſunt et communicantur in poſterum, vt aucta hoc modo libri moles, qui antea duobus tomis comprehendi ſolebant labores annui, nunc tribus contineantur. T. LXIII.

Primo tomo, LXIII. nempe, praefatio praefixa eſt, in qua, quid experientia ad medicinam amplificandam fecerit faciatque, exponitur. Experimentorum autem, quibus medicina varie amplificari poteſt, opportunitatem maximam in noſocomiis eſſe certum eſt.

Iam ſequitur *noſocomii Sti Sulpitii Pariſini deſcriptio topographica, inſtituta, mores, qui in eo obſeruantur*, caet. Regis mandato noſocomium, ad aegros in Parochia St. Sulpitii degentes inopes ſanandos, exeunte anno 1778. inſtitutum eumque in finem monaſterium inſtructum et poſtero vſui apta-

aptatum eſt. Omnia autem in hoc noſocomio ſtu-
dioſe et cum ordine ſummo geruntur, ideoque
aegri etiam non tanta copia moriuntur, quam in
aliis noſocomiis fieri conſueuit, inprimis ob aëris
ſummam puritatem, cui conſeruandae opera maxi-
ma impenditur. Lectulos aegrotantium vſui deſti-
natos noſocomium CXX. habet, aegrotique quot-
annis in iis decumbentes numerantur 1900. Vi-
aegrotantium partes duas, tertiam mulieres effi-
ciunt, licet aequalis ſemper paene decumbentium
virorum et feminarum numerus exiſtat. Cauſſa in
diuturnis admodum morbis ſita eſt, quibus femi-
nae, ob vitae praeſertim genus, vexentur, indequ
etiam, licet aegrorum partem tertiam tantum effi-
ciant, mors tamen aequalem ex iis numerum re-
gulat. Viri morbis intenſioribus, acutis, febri-
bus maxime vexantur, nec diu perdurantibus, nec
diuturnae affectioni crebram occaſionem tam facil
dantibus. Tertiam morborum omnium, quibus
feminae in hoc noſocomio affectae ſunt, partem
incurabiles morbi efficiunt.

p. 38. *Hiſtoria morborum, in noſocomio Sti Sulpitii pe*
*annum* 1779. *obſeruatorum.* Catarrhi, febres con-
tinuae remittentes malignae, angina, eryſipela
intermittentes febres, rheumatiſmi, variolae, dy-
enteria, frequentiſſima morborum genera fuere.

p. 47. MESMERI ad comitem de C** literae datae a
magnetiſmum animalem pertinentes, nunc in Ga-
lia etiam exploſum.

p. 84. DEMOURS praelectio in facultatis medicae Pa-
ſinae conſeſſu habita, qua inſtrumentum ſuum oc-
lo in cataractae operatione figendo idoneum com-
mendat.

p. 145. *Noſocomii Stampiani* (Etampes) *topographia m*
*dica*, auctore BONCERF. Aëre admodum ſalub
oppidum et noſocomium perflatur. Lectuli aegr
tan-

gentibus tantopere referti ſunt, vt ſaepe duo aegri in vno lecto decumbant. Quamuis autem triginta annorum ſpatio numerus aegrotantium admodum auctus eſt, eadem tamen ratione mortes in noſocomio rariores euaſere. Adiecit BONCERF, V. Cl. medicinali ſuae topographiae febrium malignarum in noſocomio obſeruatarum hiſtorias, putridarum videlicet, ex remittentium claſſe, ſordibus per vomitoriam medicinam eductis cedentium. Morbus putridus et peſtifer admodum nautas ex Anglica captiuitate reduces occupauit, talesque aegri anno 1780. crebro in noſocomio decubuerunt.

ROUGE DE PREFONTAINE *de febre complicata obſeruationes, in qua balnea cum eximio ſucceſſu in vſum vocata ſunt.* Febris ex remittentium claſſe fuit. Turbas mire ſedauit et aluinam excretionem probe iuuit balneum, ex ſimplici aqua, ſine ſulphure tepidum.

HENRIQUEZ *obſeruatio de balneorum in febre maligna cum exanthematibus in cute iuncta ſumma efficacia.* Puer febre miliari putrida per vndecim dies laborauerat, in ſummum vitae periculum ab imminente ſuffocatione deductus. Quum ab omni medicina leuamen nullum eſſet, in tepidam aquam aeger demiſſus eſt, quae angorem mire leuauit et morbum ad ſanitatem perduxit. Explicat Nobiliſſ. auctor vim balneorum omnem in febrilibus morbis a demulcente, aquoſo principio humoribus cohaeſue inducto, at reſpectum nullum obſeruationum VIR. ALEXANDRI, BILGUERI, aliorum habet, quibus conſtitit, poſſe etiam balneorum ope febre putrida, dyſenteria, laborantibus inſignem principi putredini aduerſi vim in humores ferri, eoque modo morbum medicinis internis efficaciſſimis indocilem facile ſuperari.

p. 188. ROSSIGNOLY *obſeruationes variae de febribus quae ſingularem naturam habuere.* Non admodum rara aut inſolita ſunt, quae proferuntur obſeruata. Altera obſeruatio acutam febrem exhibet ſanatam, abſceſſu ad teſticulum nato, altera de acuta admodum intenſa febre ſanguinis e naribus profuſione ſubito ſanata, tertia de maligna febre aquae ſimplicis copioſiſſimo potu feliciter curata.

MESMERI ad VICQ D'AZYR, V. Ill. literae, explosum nunc in ipſa Gallia magnetiſmum animalem concernentes.

p. 224. TARANGET *obſeruatio de lacte mediante ſuctione in caniculae, quae foetus nunquam tulerat, vbera copioſe ducto.* Nec valde mira res eſt, nec ſtudio tanto, in explicando eget.

DE CROIX *obſeruatio de peregrino corpore, quod in oeſophago ſubſtiterat.* Fatuae mulieri deglutitio ſubito praepedita eſt. Morbi origines medici in muſculorum pharyngis paralyſi quaeſiuerunt. Irritantes medicinae in fauces iniectae effecere, vt aegra lignum crucis formam habens, concitato vehementer vomitu, ore redderet. Ab irritatione profecta ſymptomata, medicina ſopiente et diluente data, ſiluere.

p. 230. Medica facultas Pariſina collegis quibusdam diligentius examen inſtrumenti a DEMOURS, V. Cl. inuenti demandauerat. Probarunt admodum laudaruntque inſtrumentum oculo in cataractae extractione figendo idoneum hi viri, eaque hic leguntur. Omnia eo redeunt, vt curuatum lenitei inſtrumentum acuminatum digito indice aduerſae manus corneae ipſi infigatur, dum cornea cultello, quem altera manus tenet, inciditur. Icon adiecta inſtrumenti vſum copioſius illuſtrat.

p. 290. *Inſtituta et regulae noſocomii curandis expoſitiis pueris lue venerea affectis deſtinati.* Experimen-

docuere, pueros omnes, qui lue infecti iam nascuntur, aut perire mox, aut vitam aegram admodum ducere. Plura ad sanandos eos tentata sunt, regiminis auctoritate iussuque, at sine plurimo successu. Tandem iussu LE NOIR, V. Illustriss. experimenta varia circa eorum curationem instituta sunt, quibus tandem constitit, pueros venerea labe infectos curari optime, si medicata quaedam illique aduersa morbo vis lacti impertiretur, infectique pueri tali lacte vterentur.

Quae curatio quum omni modo votis responderet, aedes sanandis pueris hoc morbo affectis instructae sunt, recipiendis grauidis feminis, lue venerea affectis, nutricibus eodem morbo infectis et pueros pariter infectos lactantibus, pueris omnibus, inopibus pauperibusque affectis venereo morbo destinatae. Aedium constructio, hoc nosocomium, in Parisinae vrbis parte, Vaugirard dicta sita, constituentium, fuse describitur, posteaque instituta nosocomii omnia in suscipiendis, nutriendis, curandis subiectis lue infectis obseruanda exponuntur: omnia autem instituta mandataque hoc modo sunt, vt virum in his rebus versatissimum probant. Recipiuntur quotannis feminae sexaginta aut septuaginta, lactantes, venerea infectae lue, hique aut ex earum classe sunt, quae Parisiis sine domicilio viuunt, aut tales, quae parentum aedes fugerant, vt veneri litarent, aut quae nutrire pueros nequeunt, aut rurales puellae, quae pudore et venerearum rerum simul cupiditate ductae vrbem adierint. Parcus admodum numerus feminarum est, quae domicilio haud carentes, nosocomium adeunt.

ARCHER *de vesicantium vsu peripneumonia laborantibus satis mature applicatorum.* P. 360. Principia ab HIPPOCRATE deducta leguntur, sed non appositae huic: quae enim HIPPOCRATES de abscessibus peripneu-

ripneumonicis ſuperuenientibus profert, et de morbo ſtadia ſua emenſo tantum valent. Commendatur veſicantium loco affecto impoſitorum vſus in morbi initiis, aut progreſſu, nec virtutis multum imo detrimenti aliquid illis adſcribitur, ſi ſub finem morbi, exhauſtis ab aegritudine aegrotantis viribus, adhibentur. Dictis confirmandis obſeruationes quaedam proferuntur.

BAUDIER *de polypo inſolitae magnitudinis, uterum vaginam occupante.* Intumuit ſenſim venter mulieri XLVIII. annos natae ſine vllo alio ſymptomate morbifico, praeterquam quod recurrentes haemorrhagias ex vtero, at parcas, aegra experiretur. Aucto demum in immenſum paene tumore, ſanguinis etiam profuſio aucta eſt. Grauiditatis quum ſuſpicio eſſet, obſtetrix, doloribus ingruentibus, vocata eſt, cum eaque chirurgus, qui tumorem in vteri vagina, mollem, caput foetus referentem, digito tetigit. Ligaturam qualemcunque tumoris moles interdixit, hinc inciſus eſt, at nihil reddidit. Dolores exacerbati magis tumorem depulerunt, adiuto naturae molimine vaporibus emollientibus. Penitus tandem expulſo tumore, qui pediculo tantum ſupernae vaginae vterinae parti adhaerebat, mulier, XVIII. morbi die animam edidit. Tumor fere vndecim librarum pondus habuit. In ipſo cadauere parum praeter naturam, vteri loco excepto, quem ingens tumor ad vmbilicum propulerat.

p. 446. *De noſocomio Pariſino curandis pueris venereo lue affectis nutricum lactis ope deſtinato* tractatio continuatur. Conſtans eſt obſeruatio, pueros a medicamento affici, quod nutrix ſumſerat, affici etiam vehementer ab animi affectu quocumque nutricum. Hinc tentatum eſt, quid mercurius praeſtet in nutricum corpora ingeſtus, ad pueros lactantes hoc morbo

morbo tentatos curandos, euentusque feliciſſimus ſit. Grauidae mulieres hoc morbo affectae hoc modo curantur, vt grauiditatis temporibus vltimis ſymptomata mali intenſiora tantum praefocentur. Decimo aut duodecimo poſt partum die in balnea immittuntur, iisque quinquies aut ſexies repetitis, mercuriali vnguento articuli fricantur, et tali quidem, quod in initiis mercurii quantitatem admodum parcam contineat. Regula eſt in noſocomio viu et crebris exemplis confirmata, ne mercurius minima quantitate ingeratur, quoniam pueri alui tormínibus, colica, diarrhoea inde corripiuntur. Tota curatio duorum aut ad ſummum trium menſium ſpatio abſoluitur.

Puerorum regimen quam maxime ſiccum eſt. Munditiei opera ſumma datur. Faucium vlcera mercurio ſublimato corroſiuo cum aqua copioſa ſolito humectantur. Si pueri lac ſugere nequeunt, mercurii fumo exponuntur, qui vim morbi mitigat, et vires pueris, vt ſugere iterum poſſint, inſpirat.

Vt autem melius curatio ſuccedat, omnia, quae morboſa in grauidis ſunt, antea depelli debent. Intermittentes febres amaris facile cedunt, inprimis cortici Peruuiano. Morbi ex ſaburra primarum viarum oriundi facile euacuantibus cedunt, cachexiae ſymptomata aperientibus, tonicis. Vlcera verendorum partium, lata admodum ſubinde et tam profunda, vt partui obſint, mercurio impoſito curantur. Tandem ſi malum vehementiſſime vrget, aliaque luis ſymptomata grauia obſeruantur, mercurialia vnguenta minutis doſibus adhibentur, vt grauiſſimum malum, ad iuſta curationis vſque tempora, mitigetur.

Exponuntur deinde puerorum lue infectorum ſymptomata. Primum vtplurimum ſymptoma con- p. 470.

ſtituit cuticula velut macerata et maculis nigris, ſ
vidis, conſpurcata. Nati tamen et quidam ſu
vuulae exulceratione foeda, ſteatomatoſo tumor
in oculi interno cantho, laborantes, puſtulis cut
neis, liuidis, affecti. Si etiam quidam corpor
apparenter ſano naſcuntur, ſtatim tamen, poſt pa
tum latentis morbi ſymptomata naſcuntur. N
ſpes eſt, fore, vt facilius morbum ſuperent, q
leuioribus ſymptomatibus tentantur; grauiorib
et funeſtis ſymptomatibus mox ſuperuenientibus.

Pertractatis copioſe ſymptomatibus omnib
quibus pueri a venerea lue tentari ſolent, ſympto
mata curationem aut nunquam, aut raro admitte
tia, enarrantur, eaque in vlceribus in capite la
albis, rodentem ichorem fundentibus, facie ſeni
Hippocratica, oculis exeſis, catarrho narium, icho
rem foedum reddentium pernicioſo, labiorum vl
ceribus profundis, os exedentibus, tumoribus ab
dominis inflammatoriis, vmbilici, ſcroti vlceribu
latis conſiſtunt. Inflammationes omnes neque re
ſoluuntur, neque ſuppurant. Lethifer etiam e
corporis vniuerſi oedematoſus quaſi tumor, cui ſo
por praeternaturalis adiunctus eſt.

RMALE *de lactis feminei ad phthiſin pulmonalem vſu tractatio.* Fuſe probatur, lacti virtutem a
phthiſin pulmonalem non admodum magnam eſſe,
nec multos phthiſicos eo ſanatos, quamuis ex nu
tricum vberibus copioſe et diu ſucto. Inſuper pe
riculum contagii nutricibus ſummum inſtat; multa
taeque, cum aegris, qui a lacte ſuo hauſto ſalu
tem exſpectauerant, mortuae ſunt.

BECU *de putrida febre aëris fixi ope ſanata.* Ad
hibita primum ſunt euacuantia, deinde cum fixo
aëre corticis Peruuiani et ſubſtantiarum aliarum
putredini aduerſarum decoctio, vt adeo ſanatio fixo
aëri non penitus adſcribi queat.

PEL-

PELLETIER *de lactis in abdominis cauo profusione* p. 496.
*instituta paracentesi sanata.* Lochia puerperae resti-
terunt. Diarrhoea lactea, vomitus, puerperarum
febris eam vexarunt. Profligata ipecacuanhae ope
febre, abdomen admodum intumuit, tumoremque
ab humore intus congesto natum esse, fluctuatio
probauit. Instituta paracentesi humor perfecte
lacteus promanauit, colore tantum aliquantulum a
vero lacte differens. Orta postea noua febre, ea-
dem, oborto in abdominalibus integumentis ad
umbilicum dolore, sanata est. Tumor pus lacteum
copiose reddidit.

SIMMONS *obseruationes, quibus probatur, natu-*
*ram expellendo foetui sufficere, cuius superiores arti-*
*culi tangentis digito sese offerunt.* Probatur quidem,
fuisse aliquando potuisse foetum, brachiis praeuiis,
sed partus difficultas insignis semper fuit, mortuus-
que foetus editus. Hinc quae ad naturam a natu-
rali sua via deflectentem pertinent, ad naturalia
haud referenda.

DEMATHIIS *de symphysi ossium pubis in partu-* p. 510.
*rente feliciter resecta obseruatio.* Peluis puerperae
ob rachiticam angustationem foetum integrum vi-
uumque non transmisit, diametro $2\frac{1}{4}$ pollices non
excedente. Hinc operatio instituta est, viribus
parturientis a doloribus nondum penitus fractis.
Ipsa operatio probe et feliciter successit, non ta-
men scindi cartilago potuit, cum ex media cartila-
ginis parte sciſſura tentaretur. Hinc in os transiisse
cartilaginem Cl. vir suspicatus est: sed suadente ALPHONSO LE ROY a superiori parte ad inferiorem
cartilago feliciter et sine plurima difficultate scissa
est. Putat inde Cl. vir, infelices harum operatio-
num euentus plures inde pendere, quod locum
findendae cartilaginis chirurgi non recte elegerint,
sagamque, post operationem a SIEBOLD, V. Cl.
insti-

inſtitutam mortuam, ſeruari potuiſſe, ſi ſymphyſin ex commodiori loco incidiſſet, ſerra, ſymptomata dira excitante, non vſus. Foetus, manu adiuante, commode, viuusque extractus eſt, pubisque oſſa ſpatio $2\frac{1}{2}$ pollicum receſſerunt. Vulnus die poſt operationem decima quarta glutinatum eſt, nec vllum ab operatione inſtituta incommodum aegra poſtea ſenſit. Trigeſima die libere omnia, in ſaniſſimo ſtatu, peregit.

ROSSIGNEUX *obſeruationes in obſeruationem* NIEL *conſcriptam, de vulneris, quod in pectus ipſum penetrauerat, curatione.*

HEBERT *de duplici maxillae inferioris fractura cum vulnere complicata.* Haec ad chirurgiam facientia magni momenti haud ſunt.

DEGERAUD *de cyſtici tumoris exſtirpatione feliciter peracta.* Nec in hac obſeruatione rari aut inſoliti quid eſt.

p. 531. *De Angianis* (Enghien) *medicatis aquis earum relatio, quibus ex medica facultate Pariſina harum aquarum examinandarum officium fuerat demandatum.* Continent ſulfur cum alcali minerali ſolutum, terram calcaream et vitriolaceam puram, mirabilis Glauberi et marini ſalis particulam.

T. LXIV. Tomo LXIV. haec continentur:

*Obſeruationum in noſocomio pueris expoſitis lue venerea infectis dicato inſtitutarum continuatio.* Obſervationes de muliercularum lue venerea infectarum curatione exponuntur. Balnea ante mercurialem curationem non omnibus aeque neceſſaria ſunt. Quae fibras laxas et neruos irritabiles habent et haud innoxie ferunt, quippe quarum vires tonicis inſtaurandae ſunt. Tumores venerei, excreſcentiaeque omnes impoſito mercuriali vnguento reſol-

vun-

nantur. Eadem medicina vlcera pertinaciſſima, ſordidiſſima, ſanantur. Mercurius ſublimatus corroſivus raro in vſum vocatur, ſubinde tamen in rebellibus morbis a venereo miaſmate natis, ophthalmia, labiorum vlceribus, herpete venereo et glandularum infarctibus diuturnis. Panacea mercurialis iis datur, quae ſcrophuloſum miaſma in corpore ſimul alunt. In induratis glandulis liquandis emplaſtrum de ranis Vigonis cum mercurio pluriſmum auxilii tulit. Scorbuticam diſpoſitionem habentes medicamentis tonum inſtaurantibus curantur.

Tranſitus ab his ad obſeruationes eſt in pueris ne infectis inſtitutas. Actio mercurii in pueris raro ante diem curationis decimam quintam conſpicua eſt; tunc venereus ichor copioſe per oculos naresque cum leuamine demittitur. Exſtinguuntur ſenſim ſenſimque venerei miaſmatis ſymptomata omnia, tertioque curationis menſe pueri, inſtaurata valetudine, vires acquirunt: citior vero ſucceſſus curationis eſt, ſi nutricis lac ſugunt, quae partum iam ante hebdomades aliquot ſuperauerat, et mercuriali vnguento iam vtitur. Dum autem lactis nutricis medicinalis vis a mercurio profecta venereum miaſma praefocat, tumores ſimul emollientibus medicinis fouentur, effluens materies ex naribus, oculis, vaporibus variis acceleratur.

RICARY *dubia*, *num variolarum inſitio quaedam* p. 42.
*ſalutiter ſucceſſerit.* Non ſucceſſiſſe, neque puerum a varioloſo morbo immunem fore, credibile admodum eſt.

CHEVILLARD *de venaeſectionis in gutta ſerena abuſu.* Probatur vnica tantum obſeruatione, plures dari amauroſeos ſpecies, quae venaeſectionem non admittant.

BONNARD *obſeruatio de maniaca ſubita et non praeuiſa in aquam frigidam immerſione ſanata.*

*De* L'HUMEAU *obſeruatio de medicamentis menſtruum fluxum pellentibus praepoſtere adhibitis.* Omnia adfuere ſymptomata ſanguinis abundantis. Inſignem neruorum irritationem paſſa aegra ab emmenagogis medicamentis eſt. Poſtea, quum omnia aut ſucceſſu carerent penitus medicamenta aut contrarios effectus ederent, mulier, quam virginem medicus putauerat, partum edidit.

p. 59. TERRAS *tractatio continuata de lintei carpti in vulneribus et vlceribus ſanandis proprietatibus et uſu.* Probatur inprimis, parum ad vlcera ſananda emplaſtra, vnguenta, valere, magis lintea carpta, aut ſicca aut decoctionibus vegetabilium variorum, mundificantium, adſtringentium, macerata imbutaque. Vlcerum genera haec ſtatuuntur: 1) vlcus benignum. 2) vlcus poſt abſceſſum natum. 3) vlcus cum duritie et callo complicatum. 4) vlcus cum carie oſſium complicatum. 5) vlcus gangraenoſum.

p. 83. GARLAUD, *in meditationes* ROBINEAU, *V. Nobiliſſ. reſponſio, de terminato feliciter ortis ope partu, in quo foetus cum parturiente, ob haemorrhagiam vterinam, ex placenta vterina orificio vteri adnata, in inſigne vitae periculum deuenerant.* Lites et rixae ſunt.

Quaeſtio chirurgico-legalis, auctore THOMASSIN, *num femoris vulnus, cum fractura femoris in parte inferiori complicatum, ob neglectam debitam curationem mortem inferens, per ſe, aut per accidens lethale dici queat.* Facilis ad hanc quaeſtionem reſponſio eſt.

p. 106. GROSSIN DU HAUME oratio de theriacae et mithridatii praeſtantia, occaſione habita, cum theriaca in officina pharmaceutica Pariſina praepararetur.

Nimis

Nimis inconcinna compositio laudatur, qua facile carere medici possunt.

*Obseruationes de morbis aliis, a venerea labe non* p. 169.
*rundis, quibus feminae puerique in nosocomio pueris*
*nerea lue affectis dicato obnoxiae sunt.* Mamma-
rum papillae facile a suctione puerorum scindun-
tur: at haec affectio facilem solitamque curationem
admittit. Menstruus fluxus nutricibus superue-
niens lacti malam et nocentem indolem non indi-
cit. — Acidus potus nutricibus in nosocomio de-
gentibus nunquam obfuit. — Notabiles admodum
obseruationes sunt de puerorum in nosocomio fre-
quenti et admodum lethifero morbo, aphthis, siue
punctis in ore albescentibus, postea in lethiferam
et gangraenosam inflammationem transeuntibus.
*Millet, muguet, blanchet*, Galli vocant. Omnis
curatio in eo consistit, vt pueri aërem purissimum
hirent, vt gargarismate subacido os continuo hu-
ectetur, vt medicinis cardiacis, antisepticis vires
ulcententur. Morbi origines ab impuro aëre de-
ducuntur, quumque frequens admodum hic mor-
bus in nosocomio sit, iusta nascitur suspicio, aërem
in eo non admodum purum seruari, neque debite
corrigi. Exponuntur postea alii puerorum morbi
meconio retento, tussis, catarrhus, tussis con-
vulsiua, vomitus, aluus adstricta aut laxa nimis,
ermina, tympanitici affectus, vermes, a denti-
tione morbi, conuulsiones balneo tepido sanan-
dae, marasmus, rachitis, caet.

BAUMES *literae ad* SOUVILLE, V. Cl. *de quar-* p. 230.
*tanis febribus rebellibus saliuationis mercurialis ope sa-*
*nandis.* Exponuntur plures obseruationes, quibus
constat, lue venerea et quartana febre simul affectos
mercurii ope a foeda lue et a febre liberatos esse.
Conclusio hinc auctori est, fore, vt medicamento
eidem

eidem febris et in his cedat, qui venerem habent non patiuntur.

*De iliaca paſſione obſeruatio*, NAUDEAU auctore. Voluulus ſubeſſe viſus eſt. Irritis medicamentis omnibus, argenti viui libram aegro medicus noſter deglutiendam dedit. Quae medicina quum anxietatem, ſyncopen, ſudores frigidos, excitaret, globulorum plumbeorum tantam quantitatem aegro dedit, vt librae pondus excederet. Poſt hanc tormerariam ex omni parte, ob mercurium inprimis antea datum, medicinam aeger, ſopitis omnibus, conualuit.

*Obſeruatio de iliaca paſſione ſymptomatibus admodum malignae indolis ſtipata*, auctore LAGAVAN. Omnia, ob inſignem neruoſi generis irritationem, incaſſum data. Narcotica demum data effecere, vt mannam cum Anglico ſale aeger cum ſucceſſu ferret.

GAUTIER *obſeruatio de peregrino corpore in aſperam arteriam illapſo.* Piſcis minutulus fuit, viuus, quem piſcator ore tenuerat. Extrahi quum nullo arte piſcis poſſet, bronchotomiam Noſter ſuaſit, et amici aegri iam animam praefocatam efflantis conſilium repudiarunt. Hinc mortuus eſt.

p. 252. *De vrinae retentione quadam*, *auctore* DOLIGNON, *obſeruatio.* Menſtrua mulieri nuptae viro nunquam profluxerant, grauiditatis tamen, ob abdomen praetumidum, quaedam ſuſpicio fuit. Sed diligenter inſtituto examine membrana vaginae oſtium praeter naturam obdurans in conſpectum venit, quae reciſa, ſanguis abunde profluxit, vrinaque libere reddita eſt.

COQUET *de vacca, quae vituli oſſa per anum reddidit, obſeruatio.*

p. 361. *Vrbis Prouinciae (Provins) medicinalis topographia, et noſocomiorum ciuilium in ea hiſtoria, auctore*

NAU-

ACHOT. Montibus cincta ſyluisque, abundans quis, mineralibus etiam et medicatis, vrbs noſocomium habet pauperibus inſeruiens, aliud, hotel-Dieu dictum et orphanotrophium. Noſocomium, le grand hotel-Dieu a Noſtro vberius deſcribitur. ris antiquum eſt, anno 1051. iam exſtructum, que modo, vt egregium ſanitatis praeſidium, pulcherrimum nempe aërem, habeat. Nouus isque commodus admodum ordo in noſocomio ſeruatur ex administratorum mandato, anno 1783. promulgato, isque mandatum hic impreſſum legitur Morbi endemici nec in vrbe, nec in noſocomiis frequenter graſſantur, ſubinde tamen remittentes et intermittentes febres popularem morbum conſtituunt, medicinis tamen ſolitis conuenientibusque plurimum cedentem.

PANVILLIER *meditationes in obſeruationem a* BRANGET, *V. Cl. conſcriptam, febrem putridam* gnantem. Exigui momenti ſunt. p. 414.

GONDINET *de fulminis effectibus, et de optima* medendi *methodo.* Obſeruationes complures de fulminis effectibus in corpus humanum enarrantur. Aphyxiam ex Noſtri mente fulmine tacti experiuntur, non venaeſectione et aliis aeſtum temperantibus, ſed hoc modo ſanandam, vt vires ſenſitiuae et motrices quamprimum reſtituantur.

DEMOURS *deſcriptio vberior inſtrumenti a ſe in-* p. 445.
*uti, quo oculus in cataractae extractione figitur.* Inſtrumenti mentionem iam ſupra fecimus.

TERRAS *de lintei carpti ad vulnera vlceraque ſa-* *nanda vſu.* Gangraenoſa vlcera inſanabilia vtplurimum ſunt, nec non ea, quae a ſenio, a paralyſi, ab hydrope proficiſcuntur. Ad horum vlcerum munditiem conſeruandam linteum carptum maxime confert. Laudatur poſtea linteum carptum ad vlcera cancroſa, ſcrophuloſa, alia.

p. 530. *De optima methodo cohibendorum eorum, qui mente capti ſunt, methodoque morbis eorum medendi optima efficaciſſimaque.* Ex regiminis mandato haec publici iuris facta ſunt, in quibus tamen neque exquiſita moderaminis ratio, neque exacta ſatis vtique confirmata medendi his morbis methodus exponitur. Redeunt enim omnia eo, vt aliis locis ii detineantur, quorum delirium tranquillum eſt, aliis ii, qui furentium modo inſaniunt, vtque in quibus curatio tentatur, ſeparatim habitent. Caetera omnia in Germania notiſſima iam ſunt, qua continendis infelicibus his hominibus opera ſedula magis efficaxque impenditur. Omnes autem mentis morbi in hos diuiduntur, in quibus ſenſus imaginatio, memoria et iudicium laborant. Primi claſſi phrenitis (frénesie) accenſetur, quam ſubinde a cerebri primaria affectione produci auctor putat, multiplicatis ſane praeter omnem neceſſitatem morborum ſpeciebus, quum quae in hanc diuturnam phrenitidem cadunt notae, omnes maniae propriae ſint. Curatio ſumme antiphlogiſtica praecipitur, ſed cum manifeſta diuturnae phrenitidis cum activiſſima permutatione. Nec maniacorum curatio a phrenitidis medela valde differt, purgantium tamen vſus in hac morbi ſpecie magis laudatur. Caeterum quae Germani medici Anglique ad maniam laudauere, ducti copioſis obſeruationibus, medicamenta auxiliaque Noſtro penitus ignota ſunt. Nec quicquam lucis, copioſa admodum tractatione melancholiae adfunditur, ad quam venaeſectio promiſcue laudatur. Ad fatuitatem purgantia intenſiora laudantur. Curationis methodus omnium horum morborum tam imperfecta, hiulca, mancaque eſt, vt mirati ſimus admodum, potuiſſe talia regiminis iuſſu in communem vſum in Gallia publicari.

GRI-

GRENIER *meditationes in obſeruationem* TARAN- p. 583.
ET, V. Cl. *de lactatione tani nunquam antea foetae ſuperueniente.* Obſeruationem ſupra iam citauimus, ſpectatori illuſtratione non egentem.

RAMEL *obſeruatio de fluore albo haereditario in* [illegible] *puellis a primo aetatis anno obſeruato*, habi- [illegible] per interualla recurrente, perdurante.

DE SAINT MARTIN Vicecomitis DE BRIOUZE [illegible] ad EVERS, V. Cl. quibus ex exemplis proba- [illegible], ineſſe phthiſi pulmonali contagium quoddam, [illegible] et in ſaniſſimos, arctius commercium cum [illegible] alentes, agit, efficitque, vt eodem morbo [illegible].

SUMEIRE, V. Cl. epiſtola ad editorem data, in- [illegible] plumbaginis Europaeae vſum ad ſcabiem [illegible] vindicat.

SUMEIRE *problematis medici expoſitio, num fe-* p. 603.
*[illegible] apoplecticis et conuulſiuis morbis ſuperueniens le- [illegible]ifera aut ſalutaris ſit.* Conſtanter auctor obſer- [illegible]uit, lethiferam febrem apoplexiae ſuperuenien- [illegible]em fuiſſe.

CHEVILLARD *obſeruatio de eryſipelate, quod [illegible]rtiana febris excepit.*

CHARTIER DE LOUZIVEL *meditationes in obſer-* [illegible]*ationes* SOBEAUX, V. Cl. *de arcani duplicati puerpe- [illegible]io dati abuſu.* Probatur ex exemplis, laudabilem [illegible]edicinam eſſe, et inſignem puerperis vtilitatem [illegible]ferre in morbis ex lacteis abſceſſibus, malos effe- [illegible]us omnes a nimia doſi (forte etiam a metallo me- [illegible]camento nupto) profluere.

REBIERE *meditationes in obſeruationem de hy- [illegible]drophobia alcali volatilis ope ſanata.*

REBIERE et GAUTIER DE SAINT IAMES *obſer-* p. 619.
*[illegible]atio de traſſorum inteſtinorum parte per anum extracta.* Vir [illegible] XXXV. annos nato, dyſenteria bilioſa fere ſupe- [illegible]ta, inteſtini craſſi pars gangraenoſa et omni ſenſu

carens per anum deſcendit. Morboſis partibus re
ſciſſis, vulnus glutinatum, nullaque aeger poſtea in
commoda expertus eſt.

GILLES DE LA TOURETTE *de abſceſſibus ad e
ticulos et in eorum vicinia obſeruationes.* Non a
modum magni momenti ſunt, quae proponuntur
notum enim chirurgis iam dudum eſt periculum a
ticulorum ex his abſceſſibus.

T. LXV. Tertio tomo, nempe LXV. haec inſunt:

*Fontis Belaquei* (Fontainebleau) *medicinalis top
graphia*, WILLIO auctore. Tria noſocomia habe
nominibus Hotel-Dieu, hopital d'Avon et hopit
des filles bleues inſignita. Caritatis fratres in n
ſocomio, hopital d'Avon; aegrorum curam geru
quod LUDOVICI XVI. mandato ita inſtructum e
vt, quum antea aegros tantum nouem recipere
nunc XXIX. recipiendis aptatum ſit. Morbi in ip
oppido rari, epidemici paene incogniti ſunt. Inter
mittentes, inprimis quartanae febres, febres putrid
verminoſae, facilem curationem admittentes, pleu
ritides ſpuriae, rheumatiſmi, frequentiſſimos mor
bos conſtituunt. Variolae vtplurimum benigna
ſunt. Endemium morbum colica conſtituit admo
dum pertinax. Phthiſin a pulmonum tubercul
experiuntur, qui in ſabulo effodiendo occupantur
Qui hos labores peragunt, omnes praemature mo
riuntur.

MAURY *obſeruatio de apparente grauiditate, pr
ducta ab abdominali tumore et ab humorum in abdo
mine et pectore profuſione.* Pancreati et inteſtinali
tubo tumor carneus, enormis, accreuerat. In
pectore aquae ſatis copioſae. Symptomata ad mor
tem vſque grauiditatem ſimulantia perdurantia ad
fuere.

DE BERGES *obſeruatio de extractione foetus, qui* p. 26.
*r anni et quod excurrit, ſpatium, in vtero materno*
*ſiterat.* Violentia externe abdomini illata foe-
um in vtero necauerat. Partu arte tandem, ob
ſignem aegrotantis debilitatem accelerato, foe-
s in lucem editus eſt admodum putridus. Pla-
ntam putredo penitus fere conſumſerat.

*Obſeruatio de grauiditate duplici ventrali foemi-*
*, quae anno aetatis ſuae* LXXIV. *demum obiit,*
*ctoribus* VARNIER *et* MANGIN. Notabilis ad-
odum hiſtoria eſt. Grauiditatis ſigna anno aeta-
XLII. omnia in muliere obuia, dolores etiam
partum ſtato tempore euenerunt, ſed in orificio
eri nihil ab iis mutatum. Siluere poſtea dolores,
mulier ad LXXIV. annum aetatis ſuae ſaniſſima
it. Inciſo poſt mortem ventre, qui praetumi-
s per omnem vitam manſerat, reciſaque vteri
rte anteriori, quae oſſeam, ſaltim cartilagineam
turam habebat, foetus mollis, in naturali ſitu,
putredine admodum maceratus, non tamen vehe-
enter laeſus, detectus eſt. In poſteriori parte
terus fiſtuloſum foramen habuit. Quo inciſo, in
ppendice vteri quaſi cartilaginea oſſeaque foetus
terius oſſa detecta ſunt tam parua, vt foetum vix
ntem duorum menſium ſuperaſſe concluſio fuerit.
ura ex auctoribus exempla de grauiditate tuba-
m FALLOPII, ouariorum, ventrali, nec non
terina perdurante et permanente proferuntur.

DE SAINT MARTIN *obſeruationes in diſſertatio-*
*m* RETZII *de febribus epidemicis.* Pertractantur
mitter origines harum febrium et optima iis me-
di methodus.

NEGRIN *obſeruationes de neruorum quorundam*
*rbis, interno florum zinci vſu ſanatis.* Alteram
ſerem vomitus ſpaſmodici, habituales, cum

conuulſiua abdominis contractione, alteram ve
atroces hyſtericae ſuffocationes vexarunt.

p. 66. NOSEREAU *de ſingultu febri acutae ſuperuen*
*te obſeruatio.* Febris atrabilaria remittens fuit. Si
gultus ei ſuperuenit lethalis.

LAURENT *obſeruatio de caluariae oſſibus a ui*
*terna fractis.* Terebro perforata caluaria, fr
oſſa complura extracta cum ſalute aegri ſunt.

*Eiusdem de capitis vulnere cum ſubſtantiae ia*
*ra obſeruatio.*

*Eiusdem de lactis poſt puerperium metaſtaſi ob*
*vatio.*

p. 79. THOMAE DENMAN *obſeruationes vlterior*
*ſpontanea poſitione foetus brachium partus tem*
*bus tangentis digito offerentis.* Ex Anglico idio
verſae ſunt.

HUZARD *obſeruationes in plumbaginem*
*paeam, ceu ſpecificam ad ſcabiem medicinam.* P
tur veteribus, DIOSCORIDI, MATTHIOLO, alii
dicamenti virtutem iam fuiſſe cognitam.

p. 185. *De hydrophobia auertenda et curanda inſti*
iuſſu praefecti praefecturae generalis Pariſina
blicata, a COLOMBIER, V. Cl. conſcripta. R
auertendi methodus in eo conſiſtit, vt vulne
animalis rabidi morſu inflicta dilatentur, vt b
antimonii indito vrantur, veſicatorio toti v
impoſito veſicae excitentur, vtque ad XL.
diem conſolidatio vulnerum caueatur. Inter
cali volatile praecipitur, externe mercurii cr
vnguento vſus. Caetera omnia ad contagii na
vimque explicandam pertinent.

p. 240. AUBUSSON DU CLOU *morbi putridi, ver*
*gangraenoſi et contagioſi deſcriptio.* Inflam
febris remittentis comes latera vtplurimum
vit. Sanatus ſatis proſpere eſt morbus datis

fico, purgantibus antiphlogisticis, vermibus adversis, cortice Peruuiano et antisepticis aliis.

GOUBIER *de corporis inflatione a balneo frigido inducta post emeticum sumtum imprudenter adhibito.* p. 245. Medicinae irritationi aduersae, sopientes, leniter purgantes morbum satis periculosum admodum leuarunt.

CLEMENCEAU *obseruatio de colica spasmodica symptomatibus admodum periculosis stipata.* Lenientibus et sopientibus medicinis symptomata pessima, animi defectio, spasmi, linguae paralysis, sopita sunt.

HATTE *de putrida maligna febre, adiunctis meditationibus de medicamentorum simplicium in his febribus efficacia.* Acida, inprimis vegetabilia, mel, potus simplex, saponaceus ad has febres laudantur.

RAMEL responsio ad dubitationes circa variolarum insitionem quandam, (de qua supra quaedam diximus) a RICARY, V. Cl. mota. Putat auctor, satis successisse insitionem, nec vllum variolarum metum aegro supereſſe: at nos, obseruationibus tam propriis, quam aliorum ducti, vix hos a varioloſa infectione immunes putamus, quibus nec locus, cui varioloſum venenum inditum est, satis suppuratus est, nec vllae variolae obortae sunt.

MICHEL *obseruatio de tumore cystico ingenti inguinis sinistri exstirpato.*

*Eiusdem obseruatio de vulnere sclopeto digitis inflicto.* Curatio probe successit: ad cicatricem autem ducendam cauterium potentiale requirebatur, quo applicato cicatrix breui formata est.

*Obseruatio physico-medico-chirurgica*, auctore SEBIRE. Ferrea acus perforatis oculi tunicis in globum ipsum penetrauerat, extracta vero facile

magnetis ope. Sequuta ſuppuratio eſt, oculum tantopere laedens, vt contabeſceret.

SEBIRE literae ad DE LA LANDE V. Ill. de coemeteriis extra vrbem dimouendis.

p. 360. *Topographia medicinalis oppidi Montfort d'Amaury et noſocomii magni in eo*, auctore WILL. Sanum admodum oppidum eſt, nec vllus in eo morbus endemius. Noſocomium ſatis antiquum eſt, non vero magno aegrorum numero recipiendo deſtinatum.

*Quae ſequuntur, obſeruationes diuerſae, de morbis inſolitis, qui lethalem exitum habuerunt, adiectis cadauerum extiſpiciis plerumque, plus vtilitatis lectori adferunt.* Pertractantur autem in his obſeruationibus hi caſus:

PEYRE *de abſceſſu in lumbari regione.* Venereae luis ſuſpicio quaedam adfuit. Febris abſceſſui ſuperuenit lethum inferens. Extiſpicia lumbarem regionem omnem muſculosque femoris purulento ichore imbutos exhibuerunt. Alteri reni, calculum continenti, inteſtinalis tubus adnatus erat. In eiusdem, renis ſubſtantia tres vermes viui, tres pollices longitudine ſuperantes, reperti ſunt. Tres alii in muſculis ad dorſi ſpinam ſitis habitabant, lumbricorum habitu et magnitudine gaudentes. Vertebrae carie affectae.

*Eiusdem* Cl^mi *viri obſeruatio de capitis affectione ſingulari, quam mors ſubitanea ex improuiſo excepit.* Vir caeterum ſanus mente ſubito captus, et poſtridie, inciſa antea vena, mortuus eſt. Inciſo pectore, pulmo ſiniſter corruptus penitus et tantopere corrugatus fuit, vt quartam cauitatis partem occuparet. Viſcera abdominis omnia praeter naturam ſicca. Caput, quod tamen perquam neceſſarium fuiſſet, non inciſum eſt.

Di

*De morte improuiſa et paene ſubitanea die poſt* p. 397.
*lapſum ab alto vigeſimo obſeruatio.* Symptomata
eger, qui poſt lapſum ſtatim ſanguinem ex ano
miſerat, paſſus fuerat abdominalium viſcerum
laeſionem indicantia: inciſo autem cadauere, ſana
omnia, pulmones vero ſanguine nigro, ſtagnante
infarcti, oedematoſi inuenti ſunt.

LA PEYRE *de mortifera paralyſi poſt commotionem capitis a globo ſclopetario inductam.* Pus ente mortem per nares redditum cerebri laeſionem ſatis probauit.

*De caſuum ab alto lentis at funeſtis effectibus.*

*De morbis quibusdam, quorum ſigna ſymptomataque obſcura fuerunt, et qui nullam ſanationem admiſerunt, cum obſeruationibus quibusdam de conſuetudinibus quibusdam admodum periculoſis, quas ſequior ſexus parui habet*, auctore BACHER, V. Cl^mo. De noxis pigmenti agitur metallici, quo mulierculae vtuntur ad alborem ori conciliandum, de thoracum nimis anguſtorum et corporapreſſione laedentium noxis, varicibus, tuberculis, ſcirrhis, omenti ſuppurationibus, pectoris, abdominis hydrope. De pectoris hydrope et internarum partium gangraena balneorum tepidorum crebro nimis vſui ſuperueniente. — De hydrope abdominali omentique et ouariorum putrida liquatione a repellentium medicinarum abuſu inducta.

IEMOIS *obſeruatio de puero ſcabioſo ſanato me-* p. 459.
*dicinis ſcabiei aduerſis nutrici datis, quae lactanti puero eadem morbum communicauerat.*

DEMOURS *de lentis cryſtallinae capſula poſt extractionem lentis opaca, pellucida vero facta elapſo trium hebdomadum ſpatio.*

*Eiusdem de varietate quadam in naſali ductu obſeruatio.*

p. 469. *De ad oculos translata varioloſa materie po morbi inſitionem.* Leuior in oculis inflammatio obort eſt ex purgantium inprimis, ſuperato iam morbo neglectu. Neque curationi, euacuantibus et re vellentibus datis, admodum reſtitit.

p. 529. *Siluanecti* (Senlis) *medicinalis topographia*, a ctore DUVAL. Inflammationes, cutanei morbi v rii, incolis admodum proprii ſunt. Phthiſic affectiones ſubitaneum decurſum habent.

p. 541. BRET *obſeruatio de febre quotidiana aut tertian duplicata a corticis Peruuiani vſu exacerbata*, con tato *autem vomitu enormi ſanata.*

*Eiusdem abſceſſus hepatici et hydropis aſci poſt vim externam hypochondrio dextro illatam ſtoria.*

FOLLAIN *de funeſta ad iecur metaſtaſi materi morbidae.* Pus in hepate natum erat ab alui fluxu praepropere cohibito.

*Phthiſis confirmata poſt febrem exorta, debita m dendi methodo, lactis inprimis vſu, ſanata*, auctore LA PEYRE.

*Eiusdem hiſtoria phthiſeos pulmonalis lethifer a fluxu menſtruo inconſulto ſuppreſſo oriundae.*

*Epidemici morbi in pago Anſauvillé primis an* 1785 *menſibus graſſantis hiſtoria*, auctore HATTE Catarrhus fuit, ad pulmonum inflammationem ver gens, febri biliosae putridae admodum maligna adiunctus. Venaeſectio plurimas noxas attuli multum autem leuaminis purgatio aluina, catarrhal inflammatione vomitum concitantes medicinas pro hibente.

DUPONT *iſchuriae lethalis hiſtoria.* Omnia me dicamenta incaſſum tentata ſunt. Cadauer inci ſum veſicam vrinariam maxime diſtentam collum que veſicae admodum arctatum exhibuit.

Vieri

*Vteri imperforati hiſtoria*, *auctore* DUSSOSSOY. Membrana orificium praeter naturam praecluſerat. Intumuit vehementer vterus. Noſter acu triquetra membranam perforauit, hoc cum ſucceſſu, vt gelatinoſae materiae copia inſignis proflueret. Penitus poſtea aegra reſtituta eſt.

*De kermes minerali tractatio in conſeſſu Societatis regiae ſcientiarum recitata*, *auctore de* LUNEL. Plura experimenta auctorem docuere, kermes minerale nulla alcalini ſalis in eo latentis indicia dare, ipſumque conſtare ex antimonii regulina calce cum principio phlogiſtico combinata. Sulphur antimonii auratum hoc nomen improprie habere, conſtans quippe ex alcalino ſale, dum ſulphur decomponit, phlogiſticato, omnesque kermes mineralis definitiones falſas eſſe, quum definiri debeat calcis antimonii ſuperphlogiſticatae nomine.

## II.

HENR. AUG. WRISBERGII experimenta et obſervationes anatomicae de vtero grauido, tubis, ouariis et corpore luteo quorundam animalium cum iisdem partibus in homine collatis. Gottingae 1782. in 4to. pag. 40.

Quum ab humana anatome phyſiologia minime plena repetatur, iudiciumque ſincerum de partium corporis animati functionibus ferri non queat, niſi harum partium fabrica in homine et in aliis animalibus conferatur, quum inprimis generationis et propagationis creaturarum doctrina admodum difficilis adhuc ſit, neque quaeſtio ab Academia Scientiarum Gottingenſi, de mutationibus quorum in viuiparis animalibus a congreſſu foecun-

de,

do, et de corporis lutei cauſſis olim iam propoſita, adhuc ſoluta ſit, Noſter totam hanc diſputationem talem eſſe putat, vt nondum ſufficiens phaenomenorum numerus in animantibus viuiparis collectorum adſit, quibus certa et conſtans lex, quam natura in producenda prole ſequitur, ſuperſtrui poſſet.

p. 15. *Sus* inprimis *ſiropha*, quae medium quaſi animal inter ouipara et viuipara conſtituit, Ill. Auctorem ad vlteriores circa hanc rem obſeruationes invitauit, quumque in humanis foetubus ouariorum magnitudo inſignis ſit proportionemque cum reliquis corporis partibus excedat, easdem obſeruationes et in ſuillis foetubus inſtituit.

Tubae Fallopii in ſuillis foetubus ex vteri cornu, anguſtiſſimo canali, continuantur, ouaria autem minora, quam in foetu humano, et elegantia ſunt. Ouulorum veſtigia diſtingui in iis nequeunt, quamuis per exteriorem ſuperficiem transluceant. Inciſurae, quae in ſuibus adultis obſeruantur, per quas prominentia oua racemoſam quodammodo figuram adipiſcuntur, maturiore demum aetate formantur. Cute, qua ouula inuoluuntur, caute ita inciſa, vt ouula non laedantur, veſiculae emergunt, piſi magnitudinem referentia, vaſorum pedunculo inſtructa, ita, vt tali modo praeparatum ouarium vuarum racemi figuram perfecte referat. In his veſiculis et aqua, vt in hominibus, praeternaturali modo colligitur, vti et in aliis animalibus ab Ill. Auctore obſeruatum eſt, pingue et ſcirrhoſum concrementum in his veſiculis deponi. Hae veſiculae et in hominibus in vera ſubinde ſteatomata tranſeunt.

p. 20. Luteum corpus in omnibus animalibus in ouariis poſt foecundam demum conceptionem naſcitur. In ſcropharum ouariis nitidiſſima haec corpora ſunt.

In

In ſcrophis grauidis demortuis numerus corporum luteorum foetuum numero ſemper reſpondit, in altero ouario tamen paulo minora fuerunt. Inter haec corpora in externa ſuperficie prominentia Graafianae veſiculae diſperſae fuerunt, tunicaque communis ouarii ab iis difficulter ſeparari potuit. Exigua in iis apertura eſt infundibuli inſtar, mediam eorum ſubſtantiam penetrans. Conſtant ex carne duriuſcula, ſubflaua, copioſiſſimis vaſis referta, carum autem conſtans non habent. Subſtantia eorum aequalis manet. Propriam tunicam habent.

Grandiſſima corpora lutea equae et aſinae exhibent, nucem iuglandem magnitudine ſuperantia. Duplicem carnem habent, externam flauam, internam albeſcentem. Ab his humana parum differunt. Cum renibus ſuccenturiatis haec corpora, quoad fabricam, ſimilitudinem quandam habere videntur.

Fallopii tubae in vtero ſuillo elegantiſſime ſtruc- p. 23.
tae ſunt. Initium earum eo in loco eſt, vbi externa tunica vltra marginem ſuperiorem cornu vteri porrigitur, et in ſubtile vaſculoſumque omentum mutatur, linearum aliquot latitudinem ſeruans tubamque concomitans.

Altera ſectione de vtero agitur. Variae con- p. 25.
trouerſae opiniones de vteri vi contractili et de foetus in vtero nutritione, omnes, vteri ſtructura in animalibus variis hominibusque rite cognita, facile componi poſſent. In bicorni vteri tria receptacula proprie ſunt. In primum vteri orificium ducit pro communi matricis cauo habendum, ex hoc primo cauo duo larga orificia in binorum cornuum receptacula tranſeunt. Rarius accidit, in capra tamen ſemel Ill. Auctor vidit, vt vterque foetus in prima communi camera haereat, nullis cornubus apparentibus.

Aber-

Aberrationes a naturali ſtructura, et in humano vtero ſaepius obſeruatae, tales ſunt, vt vterus aut duplex aut bicornis eſſe videretur; nondum vero adhuc relatum eſt, tubas Fallopii quoad partem ampliores factas cornua repraeſentaſſe et in verum vteri cauum hiaſſe. Idque Ill. Auctor anno 1775. in vetula obſeruauit hydrope demortua. Totam in hoc cadauere peluim vterus repleuit, globoſoque vtero grandique duo minora corpora adhaeſerunt, quorum quodlibet $2\frac{1}{2}$ pollic. longum vnumque latum fuit et in breues tubas Fallopii terminatum eſt. Corpora haec vteri ſubſtantia longe tenuior fuerunt.

p. 30. Texturae reſpectu, vteri in ſpongioſos et membranaceos diuidi poſſunt. Muſcularis tunica in grandiorum animalium ouariis certiſſime, in homine autem non adeſt, neque vlla muſculoſae texturae ouaria conſtringentis veſtigia in hominibus Noſter detexit. Muſcularis vteri tunica in omnibus animalibus certiſſime, in homine autem non repertur, nec regularia ſtrata fibrarum vteri a ROEDERERO deſcripta Noſter vidit. Grauiſſima quidem argumenta WALTHERI, V. Ill. ſunt, quibus fibrarum muſcularium vteri praeſentiam plane negat, vterumque ex celluloſa tela elaſtica et vaſis tantum conſtare aſſerit; verum tamen infinita copia brevium et longorum faſciculorum muſcularium vterum in omni regione perreptat. Hae fibrae in vtero virgineo ſine dubio adſunt, verum ob vteri duritiem difficulter inueſtigari poſſunt. De villoſa vteri tunica tandem, et de mutationibus illius a ſanguiferorum vaſorum vteri dilatationibus, graviditate durante, agitur.

III.

III.

De medendi tineae capitis ratione paralipomena, programma. — Auctore IO. ANDR. MURRAY. Gottingae, 1782.

Veriſſima ex omni parte vſuque quotidiano nobis et omnibus medicinam exercentibus confirmata ea ſunt, quae Illuſtris huius opuſculi lectu dignisſimi auctor de infelici puerorum hoc morbo affectorum ſorte, et de peruerſa medicorum curatione a peruerſa, ſubtili nimis, magis in futili ſpecierum diſtinctione, quam in vera morbi natura perquirenda poſita theoria, candide diſſerit. Species enim exanthematum, quae capillatam capitis partem occupant, tam copioſas, auctores, inprimis Arabes, propoſuerunt, vt qui eas ſtudioſe perſequatur vix ſciat, quaenam pro veris fictisque habenda ſint. Latent inſuper penitus verae tineae cauſſae, omniaque, quae circa eas a celeberrimis viris dicta ſunt, eo redeunt, vt humorum aut tenacitas nimia, aut acrimoniae variae, ſalſae, aut denique impurae iis venenum accuſentur.

Alia ſententia, cui ipſe Ill. auctor fidem quandam conciliare videtur, ea eſt, tineam capitis localem malum conſtituere et medicamenta ipſi loco adfecto applicata internis longe praeferenda eſſe. Hanc ſententiam exemplis pluribus morborum externorum, externis medicinis ſanatorum exemplis confirmatam, copioſius defendit, enarrata breuiter eam ob cauſſam partis capitis capillatae ſtructura.

Quaenam pars in tinea ſpeciatim adfecta ſit, dici non poteſt, nec forte, ob partium ſubtilitatem, poterit. In bulbis capillorum certe mali ſedes non eſt; iis enim euulſis, malum absque metu reuerſionis non tollitur, etiamſi hoc tentamen pluries repeta-

petatur. Haec Ill. vir ipſe in quibusdam aegris obſeruauit. Potior tamen mali ſedes in folliculis pinguedinoſis cutis, vel ipſo textu celluloſo quaerenda. Forte etiam in tineoſis muci Malpighiani vberior prouentus obtinet.

Probabile quidem admodum eſt, in tinea peculiare inquinamentum humorum totius corporis locum non habere, ſed corporis malos ſuccos omnes in capitis corio coaceruari, attamen in aliis locis ſubinde veſtigia fomitis affinis, vel eiusdem occurrunt, exanthemata, verrucae in ore, caet. Vidi etiam in puella tinea adfecta Ill. auctor digitum deformiter tumidum, inflicto ei vulnere eundem humorem, quem caput tineoſum, reddidiſſe. In vetuſtiori malo labes profundius ſaeuit, colli glandulae tumeſcunt, corpus emaciatur. (Glandularum nuchae, earum, quae pone aures et ad maxillam inferiorem ſitae ſunt, tumores inueterato morbo proprii quidem ſemper ſunt, attamen ſaepius etiam priusquam tinea effloreſcat, oriuntur, inprimis priusquam exanthema in capite copioſe effloreſcat. Tumor etiam peculiarem naturam habet, ab aliis earundem partium tumoribus paululum recedentem, ita vt, conſpicuis his tumoribus, inſtantis tineae praeſagium facillimum, et niſi medicina opportuna morbus inſtans auertatur, tutiſſimum ſit. Haec nos ex copioſiſſimis exemplis ceu ſtabilia veraque didicimus, eaque ſententiam Illuſtris auctoris de mali originibus quodammodo infirmare videntur.)

Internae medicinae aut debiles nimis, aut ſordes ſunt, aut aliam labem inducendo nocent. Plurimum tamen praeſidii in purgantibus ſitum eſt, quae tamen morbum penitus non tollunt, niſi accedente efficaci externa medicina. Nec multa fides curationibus per internas medicinas habenda eſt, quum

ſaepe

ſaepe aetatum et temporum mutatio morbum ſponſanet. Externas cum internis medicinis alii efficiter iungunt. Ipſe Ill. Auctor morbum absque capilli exſtirpatione ſolis externis medicinis curandum putat. (Nos in copioſiſſimis, quas curauimus, tineis, haec ſeruauimus: Corpus aegrorum primo purgauimus datis per interualla reſoluentibus, puluere vtplurimum alterante Plummeri. Finem purgationibus impoſuere glandularum tumores euanidi, aut admodum minuti. Caput interea quotidie tepida aqua lotum eſt, vt inprimis omnia, quae puris ſtagnationi fauent, praepedirentur. Poſtquam euanidis glandularum tumoribus, iuniperi baccas tuſas cum calcis aqua decoqui iuſſi cum eaque decoctione caput lauari. Hoc modo plurimos ſanauimus, in iisque paucis, qui non ſanati ſunt, morbus ob curationis neglectum, ob incongrua alia medicamenta ſimul data, inprimis ob neglectam munditiem perſtitit.) Duplici methodo, aut inunctione mercurii praecipitati albi cum vnguento rosato, ex qua aliquid mali nunquam percepit, adhibitis ſimul purgantibus ex ialappae radice, aut altera methodo, qua tineam fauoſam depulit. Altera methodus eſt, quam in addita morbi hiſtoria enarrauit. Tinea capitis laboranti puellae admodum iuuenni, quum purgans aluum paululum methodus nihil proficeret, venereique inquinamenti ſuſpicio eſſet, puluerem alterantem Plummeri, at infallum exhibuit. Exhibitum etiam pari ſucceſſu vinum antimoniatum Huxhami eſt, externeque vnguentum ex mercurio praecipitato albo applicatum. Externe poſtea mercurii ſublimati diluta ſolutio cum mica panis, cataplaſmatis forma adhibita eſt, poſteaque vnguentum ex aerugine, ſed pariter ſine leuamine, ſaltim morbi eadem ferocia, ceſſante vſu, redeunte. Tandem cicuta interne et

externe adhibita, excitatis copioſis in capite abſ-
ceſſibus, pus probum fundentibus, diuturnum ad
modum et taedii plenum morbum feliciter ſuſtulit.

IV.

Experimens ſur la digeſtion de l'homme et d
differentes eſpeces d'animaux, par l'Abbé
SPALLANZANI, Profeſſeur de l'hiſtoire natu-
relle dans l'Univerſité de Pavie — avec de
conſidérations ſur la methode de faire de
expériences, et les conſequences pratiqu
qu'on peut tirer en médecine de ſes decou
vertes, par IEAN SENNEBIER — à Geneve
chez Chirob 1784. in 8. Conſideratio me-
thodi Spallanzanianae pag. 128. opus auct
SPALLANZANII pag. 336. complectitur.

i. e.

Experimenta circa digeſtionem hominis et va
riorum animalium inſtituta. Acceſſit me
thodus SPALLANZANII, experimenta in
ſtituendi — conſiderata, auctore SEN
NEBIER. —

Eiusdem libri Germanica verſio prodiit, titulo

*Herrn Abt* SPALLANZANI's *Verſuche über das Ver
dauungsgeſchäft des Menſchen und verſchiede
Thierarten, nebſt einigen Bemerkungen des Her
SENNEBIER. Ueberſetzt und mit einem R
giſter verſehen von Dr.* CHRIST. FRIED
MICHAELIS. *Leipzig, im Verlag der Dy
ſchen Buchhandlung.* 1785. *in* 8. 440 pagg.

Primum difficultas diſquiſitionum phyſiologicarum, in primis autem earum, quae circa digeſtionis negotium inſtituuntur, a SENNEBIER, V. Cl. exponitur, in eaque tractatione viae plurimae, quae phyſiologos, ob experimentorum difficultatem, in auia deuiaque deduxerunt, ſatis diligenter enarrantur. Expoſita poſtea eorum parte, quae ad obſeruationes et experimenta inſtituenda requiruntur, in quibus methodus a SPALLANZANIO, V. Ill. adhibita admodum laudatur, ipſa haec methodus, ipſeque obſeruationum et experimentorum modus, quibus SPALLANZANIUS abditas naturae in digeſtione vias perſequutus eſt, fuſe exponitur.

His omnibus fuſe pertractatis, attamen cum ni- p. 66.
mia paene viri iam omnibus laudatiſſimi laude, corollaria practica ex SPALLANZANII experimentis eruuntur, expoſitoque ſummo maſticationis ad digeſtionem vſu, primum corollarium eſt, ſtomacho calorem ſuum omni ſtudio ſeruandum eſſe, vt digeſtio ſuccedat: omnia enim experimenta a SPALLANZANIO inſtituta manifeſte probant, humorum gaſtricorum actionem lentam admodum, imo minimam eſſe, dum calori, quem atmoſphaera habet, expoſiti ſunt. Nimius etiam potus vitandus eſt, ne humores digeſtiui nimis diluantur. Neque alimenta ſumere expedit, quae vim gaſtricos liquores alterantem habent; his enim media natura eſt, et ab acidis, alcalinis, acribus, caet. admodum mutantur.

Diſſoluens autem vis quum gaſtrico liquore inſita p. 74.
ſit, opus eſt, vt tantum alimenti aſſumatur, quantum liquor ipſe diſſoluere poteſt, denique vt talia tantum alimenta aſſumantur, quae a gaſtrico liquore cuique animalium generi ſpecifico diſſolui poſſint. Humanus autem liquor gaſtricus licet omnia ali-

menta ſoluat, in omnia tamen non eadem vi agit, pro varia eorum duritie, mollitie, caet.

p. 80. Stomachi morbi, in quibus digeſtio laeſa eſt, ſi Noſtro fides eſt, quam tamen illi non facile in his dabimus, omnes a gaſtricis liquoribus aut quoad quantitatem, aut quoad qualitatem, praeter naturam mutatis pendent. Si mali ſunt aut admodum minuti, digeſtio aut magnopere infirmatur, aut penitus tollitur. Ipſi autem liquores gaſtrici praeternaturales quum a corporis oeconomia praeter naturam comparata pendeant, patet, ad ſtomachi vitia delenda toti corpori ſaepe ſuccurrendum eſſe.

Ipſi autem gaſtrico liquori etiam medicata vis ad morbos complures inſita eſt. Vim, qua vulnera vlceraque glutinat, Clariſſimi viri CARMINATI, SPALLANZANI, SENNEBIER, alii experimentis inſtitutis probarunt, ipſe vero SPALLANZANIUS Noſtrum certum reddidit, ſe eodem gaſtrico liquore calculos humanos liquaſſe, et hoc quidem modo, vt, ſoluto liquatoque animali glutine, quo lapideae maſſae glutinantur et in lapidem coëunt, ipſi hi lapides, a vinculo ſuo glutinante liberati a ſe invicem diſceſſerint.

p. 89. Noſtro autem mens fuit de fluidorum digeſtione librum conſcribendi, attamen, quum SPALLANZANIUM eundem librum praeparare intelligeret, a propoſito ſuo deſtitit. Experimenta tamen inſtituit circa vim, quam liquor gaſtricus in lacte glutinando habet, eaque cum amico ſuo communicauit. Is, inſtitutis experimentis aliis, obſeruauit, lac vaccinum a ſaliua non coagulari, coagulari autem a chymo, ob gaſtricum liquorem in eo contentum, et a gaſtrico liquore omni, ex quocunque animali deſumtus fuerit. Ipſique vis coagulandi tanta inſita eſt, vt, catulis aſſumto lacte ſtatim necatis, ventriculus eorum coagulatum iam coactumque lac exhiberet.

Con-

Concluſio ex his omnibus (eaque ſatis certe memorabilis) eſt, lac, humorem, qui iam animalem naturam aliquam habet, tamen, vt in cuiuscunque animalis ſubſtantiam tranſire et aſſimilari poſſit, hac coagulatione mutari et praeparari debere, quae praeparatio omnium animalium corpori eo magis neceſſaria eſſe debet, quum liquor gaſtricus in animalibus, ſtatim, vbi nata ſint, hanc qualitatem eadem, quam in adultis, efficacia habeat.

His omnibus praeclare expoſitis, de bilis vſu p. 95.. agitur. Hic humor ex Noſtri mente non ex iis eſt, qui chylum componunt, quum, ſi hoc ita ſe haberet, bilis in ſanguinem cum chylo tranſitura eſſet, quod tamen ipſi a natura denegatum eſt. Ipſe chymi in duodeno inteſtino et ſuperiori inteſtinali tubo contenti color albiſſimus, ſapor dulciſſimus, reſiduaque, abſorpto chylo, flaua et amariſans manifeſte materies ſatis probant, bilem chymo non intime admiſceri.

Eadem confirmantur ex eo, quod bilis in inteſtino duodeno tantum in chymum agat, neque, chymo in ieiuno inteſtino abſorpto, bili tantum temporis ſuperſit, vt diſſolutionem inducere valeat (?). Eadem etiam Noſtro excrementorum naturalis qualitas, eaque, quae in alui fluxibus quibusdam decedunt, probare videntur.

Sed ſi bilis hos vſus non habet, inutilis forte penitus foret? Summam ad digeſtionem et nutritionem vſum habet, chymum in chylum mutando, eamque vim potiſſimum exſerit ob qualitates non ſoluentes, ſed praecipitantes ipſi inſitas. Mutationes autem omnes, quas chylus experitur, dum excrementitia materies ab eo ſecernitur, huic facultati praecipitanti bilis ſolum adſcribitur, quam Cl. noſter Auctor inſtitutis experimentis compluribus, mixta cum liquore gaſtrico amygdalarum emulſione,

lacte coagulato bile, probare ſtudet. Praecipitatum autem eſt ex omnibus mixtionibus aliquid, excepto coagulato lacte, quod intactum permanſit.

p. 103. Gaſtricum liquorem ex folliculis glandulosis et arteriolis in ventriculo excerni SPALLANZANIUS viderat. Modum, quo hic liquor, repleto ab alimentis ventriculo exiſtente, excernitur, a tenſione Noſter explicat.

p. 106. Tandem experimenta enarrantur a GOSSE, V. Cl. circa digeſtionis negotium inſtituta. Facultas huic viro eſt aërem deglutiendi, isque deglutitus atmoſphaericus aër vomitum ei conſtanter concitat. Hinc omnia circa digeſtionem experimenta in ſe ipſo inſtituit; aſſumtis alimentis variis, iisque ſtato tempore, aëre hauſto, vomitu ejectis. Quibus experimentis idem euictum eſt, quod SPALLANZANII experimenta probauerant, ſolui ſcilicet non poſſe alimenta in ventriculo, niſi diluta liquore gaſtrico fuerint, ipſum hunc liquorem celeriter agere, redactis poſt horae et quod excurrit ſpatium alimentis in pultem, quae tamen aliam naturam non induunt, ſed fluida tantum reddunturque acidi aut lixiuioſi quiddam oſterunt, nullam etiam fermentationem patiuntur.

Experimenta idem Cl. Vir inſtituit cum alimentis plurimis, quoad facultatem eorum, qua digeſtionem aut nullam, aut difficilem, aut leuem admittunt.

Quae experimenta quum ad diaetam medicinamque omnem plurimum conferant, nec in alio quouis talium experimentorum opportunitas ſit, vomitu a nulla paene medicina, ab innoxio iſto aëre conſtanter excitato, recenſere expedit, quaenam alimenta non digeſſerit, et quaenam difficulter, aut facile expertus fuerit.

I. *Subſtantiae non digerendae*, aut tales, quae p. 114.
to tempore, elapſis ad ſummum tribus horis, in-
geſtae penitus redditae ſunt.

1) partes tendinoſae et aponeuroticae carnium paéne omnium.
2) oſſa.
3) ſubſtantiae pingues et oleoſae animales.
4) oui album coctione duratum.
5) fungi.
6) ſemina oleoſa vegetabilia qualiacunque paene, iuglandes, amygdalae, piſtaciae, nuclei pomorum et complurium fructuum horaeorum.
7) olea vegetabilium pinguia.
8) vitis viniferae baccae ſiccatae, maſticatae.
9) tegumenta externa, quibus fruges, legumina obducta ſunt.
10) cortices externi pomorum, prunorum, fructuum horaeorum, malorum aurantiorum, citreorum.

II. *Subſtantiae vix digerendae.*

1) caro porcina qualicunque modo praeparata.
2) ſanguis omnis coctus.
3) ouorum vitellus duratus.
4) alimenta omnia, quae cum ouis, farina et lardo coctione praeparantur.
5) herbae crudae, quae in acetariis adhibentur, omnes. Amararum, v. g. naſturtii aquatici, facilior digeſtio eſt.
6) braſſica cauliflora, quae braſſica rubra difficilior digeſtu eſt, beta, porrum, cepae, dauci radices, cichorei radices in acetariis.
7) panis recenter coctus, calidus.
8) ficus recentes, ſiccae.
9) omnia, quae coctione cum farina et oleoſis parata ſunt. Hae ſubſtantiae omnes in ventriculo perfecte non ſoluuntur. Perfecta ſo-

lutio ſuccedit aut gaſtrici liquoris vi perdurante, aut bilis actione accedente.

III. *Subſtantiae digeſtu faciles*, hoc eſt tales, quae elapſa hora, aut parte horae adhuc accedente, in ventriculo in pultem ſoluuntur.

1) carnes animalium, pulli gallinacei, ouina tenerior, nec non carnes volatilium, imprimis iuniorum.
2) oua ſorbilia.
3) lac vaccinum.
4) parco piſcis cum aqua coctus.
5) olera, ſpinachia, apium, aſparagus progerminans, lupuli germina teneriora.
6) puls ex pomis variis et horaeis fructibus nec non ex frumentaceis fructibus, leguminibus, cocta.
7) panis aliaque ex farina ſine butyro cocta, ocadmodum recentia. Cruſta panis mica facilius non digeritur. Panis ſalſus melius digeritur inſulſo.
8) rapae, ſoláni tuberoſi radices.
9) gummi arabicum, quod vero mox aceſcit.

*Digeſtionem iuuarunt.*

1) Sal marinus.
2) aromata, piper, cinamomum, nux moſchata, caryophylli aromatici.
3) Sinapi ſemen, armoraciae radix, raphani radix.
4) vinum, ſpiritus ardentes paruis doſibus ſumti.
5) caſeus, praeſertim vetuſtus.
6) ſaccharum. Amarae ſubſtantiae variae.

*Digeſtionem retardarunt.*

1) Aqua, inprimis calida, magnis doſibus ſumta. Hac ſumta, alimenta in inteſtinalem tubum tranſeunt mutationes neceſſarias non perpeſſa.

2) aci-

2) acida omnia.
3) adſtringentia omnia. Corticis Peruuiani ſcrupulus dimidia poſt ſumtum cibum hora ſumtus digeſtionem retardauit.
4) pinguia omnia.
5) Fortis dulcamarae decoctio per diem ſumta digeſtionem alimentorum facillime digerendorum tantopere praepediuit, vt in acorem tranſirent.
6) Eundem effectum induxit kermes mineralis granum poſt prandium ſumtum.
7) Retardata etiam digeſtio eſt ſumto mercurii ſublimati corroſiui grano.

Suſpenſa etiam digeſtio eſt animi occupatione poſt prandium, nec non a pectore antrorſum, ad tabulam flexo. Subuenerunt digeſtioni animi quies, verticalis corporis ſitus, exercitium corporis poſt prandium leuius.

## V.

Obſervations importantes ſur l'uſage du Suc gaſtrique dans la chirurgie; aſſemblée par IEAN SENNEBIER: avec quelques additions de M. l'Abbé SPALLANZANI, à ſes experienzes ſur la Digeſtion. à Geneve, chez B. Chirol. MDCCLXXXV. 3½ pagg. 8.

i. e.

Obſeruationes de vſu liquoris gaſtrici in chirurgia, auctore IO. SENEBIER *).

Propoſuerat Cl. Vir in obſeruationibus ſuis in SPALANZANII circa digeſtionem opus varia



*) *Wichtige Beobachtungen über den Gebrauch des Magenſaftes in der Wundarzneykunde, geſammelt von* IOHANN

gaſtrici liquoris in chirurgia vſum concernentia; verum licet plurimam probabilitatem coniecturis ſuis et obſeruationibus dederit, metus tamen ipſi fuit, ne chirurgi ob naturalem ipſis nouorum experimentorum cum medicamentis ad talem vſum adhibendorum haſtenus non ſolitis metum, et experimentorum pigritiem haec negligant, obſeruataque Auctoris in immeritam obliuionem labantur.

Sed alius rei euentus fuit. IURINE, doctus apud Geneuenſes chirurgus, certior ab Auctore de obſeruatis ſuis redditus, gaſtrici liquoris vſum in chirurgia tentauit, plurimosque praeclaros effectus obſeruauit, quos omnes diligenter literis conſignatos Auctori tradidit. TOGGIA, medicus veterinarius Taurinenſis, de his certior ab Auctore redditus, eadem experimenta in bobus repetiit, eadem plane cum ſucceſſu, quem IURINE obſeruauerat. SPALANZANIUS tandem, ad quem eiusdem rei fama per Auctorem noſtrum peruenerat, CARMINATUM, in vniuerſitate Patauina profeſſorem celeberrimum, ad eadem experimenta inſtituenda induxit, quae in opere proxime edendo diligenter enarrabit.

IURINI experimenta haec ſunt: Gaſtricum liquorem ex bobus et ouibus elegit, praetuliſſet vero aquilarum gaſtricum liquorem, ſi copia opportuna earum fuiſſet. Qui ſuccus, vt eo copioſior obtineatur, opus eſt, vt animalia diem, priusquam iugulentur, ſine alimento viuant. Colatur is liquor ex ventriculo defumtus per linteum et in vaſis idoneis aſſeruatur, vſus ipſius vero is eſt, vt vlceroſae

patien-

HANN SENNEBIER, *Prediger und Bücherſaalaufſeher des Freiſtaates Genf. Aus dem Franzöſiſchen. Mauheim in der neuen Hof- und Academiſchen Buchhandlung. 1785. in 8. 48 pagg.*

...tes eo tepefacto bis per diem lauentur, linteâ ...rpta eo imbuta iis imponantur, faſciisque eo ma... ...ctis deligentur. Medicina in initiis dolores in... ...ſos excitat, ſub altera tertiaue deligatione per... ...de euanidos. Effectus autem medicina hos ha... ..., vt atrociſſimos dolores ſedet, malum exulce... ...tarum partium odorem corrigat, vlcera ipſa pur... ...et, puris quantitatem moderetur, qualitatem ...rrigat, eaque ſatis cito ad cicatricem perducat.

Vt autem cognoſceret Cl. vir, num eadem vi ...tredini aduerſa gaſtricus liquor ex animalibus va... ...et, quae victu vegetabili vtuntur, qua is valet, ...em carnem vorantia ſuppeditant, experimenta ...m gaſtrico liquore ex boue inſtituit, quibus conſti... ...gaſtricum liquorem ex ruminantibus animalibus ...ſomtum a calore cito putreſcere plurimumque ...d putredinem ipſius conferri, ſi carnibus miſcea... ...r. Concluſio ex his experimentis eſt, gaſtricum ...uorem, qui aeſtiuo tempore ex ruminantibus ani... ...alibus ad vulnera adhibetur, omni die aut ſal... ...m biduo recenter ex animali deſumendum eſſe.

Sanauit autem hoc medicamento IURINE, V. Cl. ...lcus ſerpens in vetula muliere ex varicibus in cru... ...e natum ſpatio XIV. dierum, in murario fabro vl... ...a antiquum tibiam interiorem occupans ſpatio ...rum hebdomadum, horrendum in alia muliere ...cus in tibia per XVIII. menſes perdurans, ſaniem ...opioſam, tenuem, admodum male olentem pro... ...fundens, cum hectica febre. Mitigatum admo... ...dum eodem medicamento cancroſum vlcus mam... ...mam occupans in foemina eſt. Trienne circa pa... ...tellam vlcus eodem ſex hebdomadum ſpatio ad ci... ...catricem perductum eſt.

Ad omnia autem vulnera gaſtricus liquor ex ...nibus ſolis carnibus viuentibus magis valet, ob an... ...putridam maiorem vim a SPALANZANIO de-

tectam,

tectam, a SENNEBIER confirmatam. Hoc medicamento vlcera plura inaequalia, inueterata, indurata, a venerea adeo labe oriunda, imo ſphacelum fanauit, ſeparata mortua carne a ſana deciduaque foetore depulſo, vlcere a carnium lapſu oriundo conſolidato. Cancroſum oris vlcus idem liquor mundum reddidit, ichorem rodentem, foetorem depulit, dolores mitigauit, mali progreſſu retardauit.

Gaſtricus animalium, quae herbis veſcuntur liquor dolores partium diuturnos ſedat, externe impoſitus, omni eo in caſu, vbi diſcutientia externe adhibere expedit. Depulſi hoc medicamento dolores humeri ſunt continui ex hemiplegia nati. Multum etiam valet idem medicamentum ad contuſiones, tumores partium apoſtoſos, inflammatorios, nec non ad diſcutiendos tumores a luis venereae miaſmate natos.

Tentatum etiam eſt, quid interne ad ventriculi morbos hic liquor valeat. Cum ſummo ſucceſſu tribus mulieribus datus eſt, quae digeſtionem difficilem cum ventriculi tumore, dolore et virium languore habuerunt, nec non duobus pueris, qui ex ingluuie ſtomachi dolorem atrocem ſibi contraxerant. In alia muliere ex continuis ad vomendum conatibus tabida vomitus hoc medicamento ſublati ſunt. In ventriculi doloribus a laxitate, aut a neruorum ſenſibilitate nimia oriundis ſine omni ſucceſſu datum eſt. Noxios effectus ex ruminantibus animalibus liquor in febribus ſtomachicis edidit, ſperat tamen IURINUS, fore, vt plus vtilitatis liquor ex carniuoris animalibus, ob vim maiorem putredini aduerſam, adferat. Depulſae gaſtrico liquore febres intermittentes autumnales duae et ſex vernales ſunt tribus illius vnciis datis. Fefellit tamen et medicamentem ſubinde ſpes, ita vt pro certo febrifugo haberi

non

non queat. Mitigatae tamen ſemper a medicamento febres ſunt, eoque adhibito cortici facilius cesſerunt.

Gaſtricus liquor ex auibus carniuoris ſaporem ſalſum, amarum habet, acidumque manifeſte profert. Continet reſinam obſcuri coloris, ſaporis admodum amari, animalem eiusdem coloris materiem, ſalis ammoniaci parum, plus marini. Mediae indolis liquorem habent, quae cibo ex vegetabili et animali mixto veſcuntur. Humanus ex aqua copioſa, animali materie et ſalis marini parca quantitate compoſitus eſt. Acidus eſt in animalibus, quae graminibus veſcuntur, non ruminantibus, in ruminantibus, praeter acidum, ſalis ammoniaci particulam continet. Lixiuioſus ſal, quem ſaepe SENNEBIER, V. Cl. in gaſtrico liquore deprehendit, a putredine ortus nec proprius gaſtrico naturali videtur.

Deſtillationi ſubiectus ex carniuoris animalibus liquor gaſtricus dedit plurimam aquam, acidum, pingue et acre oleum ſalſamque materiem odorem ſalis lixiuioſi volatilis habentem. Mortuum caput ſalem marinum exhibet, nec non terram calcaream puram. Animalium, quae variis cibis veſcuntur, liquor gaſtricus dedit aquam plurimam ſubinde alcaleſcentem, ex recenti tamen liquore omnis ſaporis expertem, olei nigricantis, acris particulam. Ex animalibus graminiuoris liquor dedit aquam initio alcaleſcentem, tandem acidam, oleum nigrum, acre. Mortuum caput ſalem marinum, alcalinum, terram calcaream exhibuit.

Carniuororum animalium gaſtricus liquor ſine omni putrida corruptione in vaſis vitreis permanſit, donec penitus ab aëre exſiccaretur; ex animalibus, quae mixtis alimentis veſcuntur, plurium menſium tempore ſine putredine permanſit. Eas-

dem

dem qualitates acidus liquor gaſtricus animalium graminiuororum habet, alcalinus autem ſubito corrumpitur.

VI.

SEBASTIAN GOLDWITZ, *der Philoſophiæ und Arzneywiſſenſchaft Doctors, neue Verſuche zu einer wahren Phyſiologie der Galle. Bamberg, bey Dederich 1785. in 8. 250 pagg.*

i. e.

Noua experimenta ad indagandam veram bilis phyſiologiam.

Occaſionem libro dedit, in quo plurima experimenta circa bilis naturam vſumque inſtituta continentur, bilioſa epidemia, Vindobonae anno 1778. graſſans. Non ſuffecere Noſtro ad explicanda complura phaenomena in morbis acutis et diuturnis his temporibus crebro obuia ea, quae medici circa bilis naturam erant philoſophati, hinc abiectis reiectisque omnibus auctoritatem quandam prae ſe ferentibus, ipſe Noſter experimenta ad bilis naturam eruendam, inſtituit.

Introductionem, qua de phlogiſtici principii in omnibus corporibus naturalibus et animatis praeſentia et actione generatim agitur, bilis hiſtoria ſequitur. Verum haec hiſtoria non tali, eoque quo decet maxime modo enarrata eſt, vt hiſtoria experimentorum et opinionum ſecundum temporum ſeriem deducatur, Noſter potius in ſcribenda hac hiſtoria in hoc potiſſimum elaborauit, vt, poſitis et poſitisque contrariis auctorum diuerſis ſaepe temporibus florentium et diuerſis principiis theoreticis deditorum opinionibus, probaret, de vera bilis natura

p. 13.

tura doctrinam non satis hactenus expositam nec experimentis comprobatam esse.

Historiam tractatio *de bile, illius secretione et partibus eam constituentibus* excipit. Quoad constituentes bilem partes auctores, qui experimenta circa eas instituerunt, in eo quidem conueniunt, bilem ex aqua, spiritu, oleo, aëre, et carbone residuo conflari, sed circa alia bilis principia, circa partium memoratarum adeo veram quantitatem, dissentiunt. Salem volatilem in bile visum a quibusdam HOFFMANNUS et SPIELMANNUS non videre. Salem alcalinum mineralem in bile detexisse alii arbitrati sunt, aliorum experimenta docuere, salem marinum bili inesse. Alii alcalinum principium bili penitus denegarunt. p. 36.

Tam dubiis incertisque experimentis et opinionibus medicorum circa bilis veras partes constitutiuas existentibus, Noster ipse, institutis copiose, nec sine studio, quod saepe mirati sumus, experimentis, in eruendis veris bilis partibus elaborauit. Experimenta ignis ope instituta parum eum docuere; conuenere enim, quae ignis extorserat, omnia, cum iis, quae alii, iisdem experimentis ducti, de bilis natura dixerant. Hinc alias vias, neglectas hactenus, ingressus est. p. 50.

Bili recenti bouillae (hanc fere semper elegit ad experimenta sua, quum praestitisset sine dubio, ad bilis humanae naturam eruendam, bilem ex animalibus sumsisse victu ex animali et vegetabili composito vtentibus, tunc certe certiora omnia, dubiisque minus obnoxia euasissent) lixiuiosum salem vrium admiscuit. Adfusum miscelae vitrioli oleum efferuescentiam produxit, coagulumque natum est, fluido innatans. Coagulo, fluidoque sapor acidus non fuit. Bili bouillae adfusum vitrioli oleum, intercurrente temporis spatio satis longo, sedimentum

tum profunde virideſcens in vaſis fundo indurit, cum ſapore ſedimenti fluidique ſuperi manifeſte acido. In humana bile eodem modo tractata congulum ſubito natum, flauusque color in viridem mutatus eſt. Eadem in bouilla bile acciderunt, in qua, ob moram, flauus color natus fuerat, nullo tamen coagulo conſpicuo. Bilis ex boue deſumta ſumme putrida, adfuſo oleo vitrioli, nullum lixiuioſi ſalis indicium dedit. Eadem perfecte in humana bile euenere, licet ſumme putrida et tali modo ſeruata, vt aër acceſſum non habuerit.

Efferbuit paululum bilis in aperto vaſe ſeruata, forte cum aliis ſubſtantiis animalibus mixta, alcalinaeque indolis indicia dedit. Attamen cryſtalli, tentata liquoris inſpiſſatione, natae non ſunt. Craſſior pars vaſis fundum petiit, ſuperusque humor manifeſta acidi indicia dedit. Aeſtum, efferueſcentiam, vitri adeo incaleſcentiam excitauit vitrioli ſpiritus bili putridae in anguſto admodum vaſe ſeruatae adfuſus. Sed talia in ampliore vaſe non euenere, in quo coagulatio ſine turbis omnibus ſequuta eſt. — Concluſio hinc eſt Noſtro, auctores, inſtitutis hoc modo experimentis ſuis, alcalinam indolem bili tribuiſſe, quum tamen phaenomena omnia, quibus ſeducti alcali ſuſpicati ſunt, a vaſis anguſtia origines duxerint. Caeterae concluſiones ex his experimentis ſunt, lixiuioſum ſalem nec in naturali, nec in putrida bile contineri, eundemque ſalem bili conſtituendae non accedere.

Circa olei praeſentiam in bile ab omnibus ſtabilitam et chemicis experimentis confirmatam quaeſtio a Noſtro iure mouetur, num, licet experimento oleum ex bile vi extorqueatur, idem oleum bilem naturalem, ſanam, igne non tortam ingrediatur. Deſtillatione itaque bilis ab auctore noſtro inſtituta, albicans quaedam pinguisque materies re-

tor-

rtae collo adhaesit, quae collecta, attactuque, um caluit, lubrica, aquae iniecta fundum vasis itim petiit; chartaeque calefactae iniecta notas rtae nullas, ab omni pinguedine alias residuas, preſſit, ſed lente exſiccata maſſam exhibuit, in us non ſolubilem, lymphae ignis ope coactae for- propaginem.

Bili vetuſtae adfuſa aluminis ſolutio albidam aſſam, pinguedinis ſolidae nomine ab HOMBERGIO inſignitam, ſtatim produxit. Eandem produxerunt acida omnia, tam mineralia, quam vegetabilia, nec tamen modo, vt vitriolum album, ferri vitriolum fuſcum, coeruleum vero viridem maſſae colorem induceret. Haec maſſa exſiccata lente dura, friabilem ſe exhibuit, albumque colorem retinuit, artificiali vero, aut naturali ſolis calori expoſita, albus color in flauum, poſtea in viridem, deinde in fuſcum, tandem in nigrum mutatus eſt. Fundum vaſis ſemper aquae iniecta petiit. Chartae iniecta et carbonum calori expoſita ſtatim cerae instar liquata eſt, acidosque vapores emiſit, nulla pinguedinis in charta relicta nota. Igni expoſita ſtatim flammam concepit. Maſſa haec cum clauellorum cineribus aqua ſolutis cocta verum ſulphuris hepar exhibuit, quod hepar, inſtitutis etiam ſicca per experimentis, pariter productum eſt. Nec ſalinus indicia experimenta dedere.

Concluſio ex his omnibus eſt: in bile oleum nullum contineri: oleum, quod deſtillatione bilis inſtituta obtinetur, non bili, ſed lymphae coagulatae proprium eſſe: talem huius olei miſcelam, quae ſaponiformem miſcelam conſtituat, in bile non adeſſe, maſſam denique acidorum ope a bile separatam indolem adipoſam non habere, ſed ſulphuream.

Experimenta etiam circa aërem in bile contenta inſtituta ſunt, iisque, ſed non copioſis, ne hoc modo inſtitutis, vt omnem dubitandi occaſionem amoueant, patere putat Noſter aërem nullum in bile contineri.

p. 86. Maiorem attentionem merentur, quae de lactis ſaccharo aemulo in bile contento proferuntur. Experimentis in altera operis parte deſcriptis eo ſcilicet Noſter peruenit, vt ſiccatione et tura lapideam ex bile maſſam obtineret. Haec ſpiritui nitri dulci iniecta in eo liquata eſt, re ſere tamen corpuſcula alba, ſubrotunda, quae tibus fracta et ſaliua ſoluta ſaporem dulcem runt. Eadem corpuſcula in alia lapidea cum nitri ſpiritu non tractata crebro ſe exhi runt. Sed bouilla bilis verno tempore collecta ſalem tantum exhibuit. In humana, anſerina, ſcina bile experimenta ſumma cura inſtituta non demonſtrauerunt.

Varia etiam circa ferri praeſentiam in bile perimenta inſtituta ſunt. Vitrioli oleum bili ve adfuſum coagulationem ſolitam ſtatim induxit. pſis diebus aliquot liquor, in quo coagulum ſubſe rat, pulchre viridem colorem, et vitriolicum ſa rem habuit, cum lixiuioſo tamen ſale non effer Gallarum decoctio huic liquori adfuſa colorem illo lacteum, non pellucidum ſtatim induxit. E dem colorem produxit ſpiritus ſalis ammoniaci quori adfuſus. Natum autem poſtea ſedimentu eſt, nullum ferrum continens. Nec aliis exp mentis ferri in bile praeſentia euinci potuit.

Quibus omnibus copioſiſſime et cum exp mentis plurimis expoſitis, ex quibus ſequitur, calinum ſalem, oleum, aërem, ferrum partibus lem conſtituentibus adnumerari non debere, veras partes bilem conſtituentes tranſitus eſt.

Vt autem hae partes exacte cognoſcantur, ſcire p 98
pedit, bilem ex duobus diuerſis humoribus conſtari, humore ſcilicet ipſi proprio et lympha coagulabili. Lympham coagulabilem in ea contineri, coagula ab acidis adfuſis in ea oriunda iam probant. Haec vero coagula lympham puram non exhibuerunt, eo tandem Noſter peruenit, vt eam puram obtineret.

Sed quodnam principium bili amaritiem, colorem, eam proprietatem, qua flamma admota inflammatur, qua cum ſalibus lixiuioſis in hepar ſulphuris mutatur, impertit? Hoc inflammabile ſine dubio eſt. Eiusque principii praeſentiam experimentum euicit, quo calx viua humori iniecta, ex quo coagulum omne iam ſubſederat, humori aquoſo penitus et omnis ſaporis experti colorem viridem, odorem bili recenti proprium, ſaporem amarum, et acido adiecto promtitatem ad coagulandum impertiit.

Terrae in bile praeſentiam euicit experimentum, quo bilis inſpiſſata, aqua ſoluta, in eaque ſaepe lota, terram reſiduam exhibuit gryſeam, omnis ſaporis expertem, odore moſchum referente praeditam, inflammabilem, ablato vero inflammabili principio calcaream cum acido phoſphori in ea contento.

Aquoſus humor ex putrida bile praeparatus, inodorus pariter et ſaporis expers, calce viua adiecta ita mutatus eſt, vt colorem ex fuſco flauum putridae bili aemulum indueret.

Secretionem bilis quod attinet, in eo quidem Noſter cum BOERHAAVIO conſentit, ſanguinem arteriarum vena iecinori allatum putridarum ſubſtantiarum partem admodum copioſam continere, non vero concedit, hunc ſanguinem eam ipſam ob cauſſam lixiuioſo ſale refertum eſſe, quum lixiuioſus

ſus ſal putredinis ſummae ſoboles ſit, quae in viuo animali corpore locum habere nequeat: affirma potius, quum inflammabilis principii euolutio ſo lutioque a putredine primum producatur, eundem ſanguinem hoc principio plenum ad iecur conuehi Eiusdem principii inflammabilis copiam ſanguis i ſplene ſtagnans liquatusque contrahit. Arteriſh paticis id tribuitur, quod partes craſſiores cum flammabilis principii parte, terreas et mucoſas ſanguine ſecernant.

p. 117. Altera operis parte *bilis proprietates et agen modi, nec non bilis in corpore animato vſus* pe tractatur.

Externas bilis proprietates quod attinet, vi Noſter, bilem ab hiemali frigore in glaciem lam loſam tranſiiſſe, inſperſo lamellis liquore a frigo 19. graduum thermometri Reaum. non coagu bili, ipſam bilem ſerius a frigore ſemper, et adgr dum tantum 6. coagulari. Siccatam iguique a motam ignem concipere, at facile exſtingui, ag tatam in ſpumam mutari, in humido aëre adm dum liquari.

Bilis in olea varia actis variis experimentis v rie demonſtrata eſt. Olea expreſſa varia bilis a di verſis animalibus deſumta non ſoluit, non in vnu corpus redegit, quamuis admodum agitaretur mu tus humor. Nec tritura oleo bili admiſcendo ſuffi cit. Amygdalae cum bile tritae emulſionem no dederunt, amygdalino oleo tritura expreſſo bi pertinaciter innatante. Nec hoc effecit bilis, communis aqua oleo admiſceretur. Eadem per fecte phaenomena deſtillata olea exhibuerunt bi nullo modo, nec aqua interueniente, admiſcenda Balſamum Peruuianum aliaque mutata quidem hu paululum, Peruuiano lacteus color inductus e balſamum vero de Copaiua in cremorem mutatu

aquae haec balſama non admixta ſunt. Subſe-
re in fundo vaſis reſinae qualescunque naturales
arte factae.

Nunc ad veram bilis actionem tranſitus eſt. Pri- p. 145.
Noſtro eſt, *quod oleum ex ſubſtantiis, quibus ad-
mixtum eſt, propellat.* Charta oleo ricini ſaturata
non tranſmiſit, bilem vero ſtatim. Oleo
rata charta emporetica bilem non tranſmiſit.
rarum notae chartae a typographis impreſſae
letae ſtatim ſunt, ſi talis charta bili exponere-
Concluſio ex his experimentis omnibus eſt,
em, quam amicam oleis BOERHAAVIUS puta-
rat, iis inimicam pertinaciter eſſe.

Sed peculiarem agendi modum bilis habet olea
liacunque in cremorem mutando. Hic modus
endi bili proprius, et ab omnibus hactenus non
ius, experimentis compluribus demonſtratur, ad-
ta bile oleo amygdalarum, ricini oleo, cum
one ſoluto, ipſis amygdalis minutim conciſis,
di. Eundem cremorem bilis ſumme foetida pro-
it, bouilla, humana, ſemperque hic cremor na-
s eſt, admixto, licet ſaepius bili, quae olea in cre-
orem mutauerat, recenti oleo. Bilis vncia olei
luioris ſcrupulum in cremorem mutauit. Bilis,
ae exhalatione craſſior euaſerat, vncia olei ſcru-
los duos in cremorem mutauit.

Altera bilis actio ea eſt, quod acidam fermenta- p. 161.
ionem impediat. Lac bili mixtum elapſis horis
XXIV. acidum odorem non exhibuit, nec fermen-
tationis vllius indicia, ſeruata in calido loco miſcela.
Sed partes lactis admixta bilis perfecte ſeparauerat.
Acidam panis ſecalini dentibus maſticati fermenta-
tionem in ſpirituoſam bilis addita ſtatim mutauit.
Bilis pani addita, qui fermentationem acidam non
paſſus fuerat, fermentationem accelerauit, ſed non

acidam, verum ſpirituoſam. In putredinem mulſa poſtea tranſiit, ſine vllo acidi veſtigio.

Experimentis nunc eruitur, quid acida in bile recente et putredine corrupta efficiant. Vini acetum bili recenti additum eam non mutauit. Vitrioli oleum in eadem bile ſedimentum profunde virdeſcens produxit. Elapſis aliquot diebus eadem bilis ab eodem oleo in albidos grumos coagulata eſt. Experimenta omnia comprobarunt, acida in recentem bilem aut non, aut leuiter agere, in bile vetuſta vero coagulationem ſtatim producere. Bile acidis mixta, liquor, adiecto lixiuioſo ſale, acidi nulla indicia dedit.

p. 171. Quaeſtio nunc eſt, quomodo chylus praeparatur. Chymus, qui ex Noſtri ſententia in ventriculo acidae fermentationis initia paſſus fuerat, in duodeno inteſtino cum bile miſcetur, quae eum penetrat, praeſentem iam fermentationem accelerat, acidam fermentationem in ſpirituoſam mutat, aërem expellit, ſales obtundit, particularum oleoſarum cohaeſionem cum aliis partibus ſoluit, eaque, cremoris forma, ſine vllo muci adiumento in chymi ſuperficiem propellit. Isque cremor chylus nomen habet.

p. 177. Tertia operis particula plurima continet, quibus quaeſtiones variae enodantur. Prima eſt, num bilis lactis coagulationem impediat. Experimenta docent lactis coagulationem a bile non praepediri, illius potius coagulationem a bile induci, eamque ea fortiorem eſſe, quae a vini aceto inducitur.

Altera eſt, num bilis aëris in inteſtinis contenti copiam minuat. Experimenta probarunt, aërem non minui, imo a bile addita augeri.

Tertia eſt, num bilis in ſanguinem retrocedat, quod de bilis ſubtilioribus particulis affirmatur, de naturali vero bile negatur.

Quarta

Quarta eſt, num bilis ſanguinem ſoluat. Sanguinem in grumos coactum non ſoluit. Quum autem ſanguis, vena ſecta, in vas infunderetur bile calefactam continens, ſanguis fere coiit, coagulata pars admodum mollis attactu fuit. Patet hinc, ſanguinem a bile ſolui.

Quinta eſt, num excrementitius humor bilis P. 195.
Secretorium et excretorium ſimul eſſe aſſeritur.

Sexta eſt, num bilis in chylo parando ipſa mutetur. Excrementa aluina humana cum aqua terentia tractata aquae flauum colorem dederunt. Addito huic aquae vitrioli oleo, aqua ſedimentum deſeruit, coagulo accedens, rubrum. Concluſio eſt, bilem non mutari.

Septima eſt, num bilis in veſicula fellea contenta hepaticae praeſtet. Adſeritur, eam praeſtare, omniaque experimenta optatum magis habuiſſe ſucceſſum, bile ad ea adhibita, quae mora aliqua vim putriformem contraxerat.

Octaua eſt, num bilis cum adipe conueniat. Bilis grauitatem ſpecificam longe maiorem habet, omnibus pinguedinis ranceſcentis et amaricantis longe alia eſt, quam ea, quae bili propria eſt. Sapo denum ex bile praeparari nequit.

Tandem rationes in fine operis copioſae adducuntur, quare lac, morbo putrido perdurante ano iniectum, ſtatim coaguletur, quare homines, in quibus bilis abundat, nullo ſymptomate acidum indicante vexentur, caet.

VII.

*Materialien für Gottesgelahrheit und Religion. Erſten Bandes zwote, dritte und vierte Sammlung. Gera bey Beckmann. 1785. in 8vo.*

i. e.

Materialia ad theologiam et religionem. Voluminis primi faſciculus II. III. IV.

Ad medicinam biblicam pertinentia plura in hoc opere occurrunt ab ACKERMANNO, V. C. profecta, quorum breuem enarrationem exhibere lubet. Primi faſciculi cenſuram iam dedimus *).

p. 57. Altera pars enarrationem morborum exhibet, qui in noui teſtamenti libris memorantur. De paralyſi noui teſtamenti inprimis agitur, quam inter ſanatos a ſoſpitatore noſtro morbos biblici ſcriptores frequenter memorant. Difficultatem autem quandam explicationis habent ſymptomata paralyſi a ſacris ſcriptoribus adſcripta, huic morbo alias non communia, dolores ingentes videlicet, βασανοι, qui ſummum cruciatuum gradum indicant, ſaepeque non paralyſi, quo ſenſu apud medicos ſumitur, ſed potius articulorum rigori communia.

Vt autem paralyſin noui teſtamenti interpretes medici paralyſi medicorum accommodarent, in varias ſententias tranſierunt. Quidam, videntes, paralyſin in colica pictonum dolores ingentes ſequi, eiusdem generis has paralyſes fuiſſe putarunt, ſed parum ſano conſilio; de pictonum enim colica conſtat, vtrum eo tempore homines tam frequenter inuaſerit. Alii rariſſimis exemplis reſolutionis nervorum ducti, in qua motus deficit, ſenſus autem ſubin-

*) In Commentar. noſtror. Vol. XXV. part. III. p. 472.

dibinde paulo acutior remanet, noui teſtamenti paralyſin pro tali habuerunt: verum nec apud hos veritas eſſe poteſt, ſiquidem tam rara reſolutionis neruorum cum dolore in partibus adfectis aucto exempla ſunt, vt Noſter vix vnum alterumue in libris medicorum omnis aeui inuenerit. — Suadet hinc ſana ratio, vt diſpiciatur, quid veteres de paralyſi ſenſerint, quorum in morbis notiones noui teſtamenti ſcriptores forte ſequuti ſunt: verum nec illi ſub paralyſeos morbo alium intelligunt, quam talem, in quo aut ſenſus motusque, aut ex his alter reſolutus ſit, de ſenſu aucto motu deperdito in paralyſi non loquuntur, licet diuturnitatem morbi ſummam, difficultatem ſanationis, corpus mouendi impotentiam, caet. omnes concedant. Hinc alii ad ſpaſmos tranſiere, cum paralyſi coniunctos, vt G. W. WEDELIUS, qui vero dolorem non excitant; alii verbum βασανίζεσθαι non de doloribus vere exiſtentibus, ſed de morbi magnitudine, intenſitate et difficultate intellexerunt.

Verum aliam ſententiam, et quidem iure, vt videtur, Noſter tuetur. Praemonitis quibusdam de morbis, qui in nouo teſtamento memorantur, maxime ex methodicorum veterum ſcriptis ſyſtemateque explicandis, quaenam COELIUS AURELIANUS de paralyſi ex antiquiorum methodicorum ſcriptis tradiderit illuſtrantur, et cum iis, quae noui teſtamenti ſcriptores de paralyſi memorarunt, conferuntur. Ex iisque patet, duo paralyſeos genera methodicis fuiſſe, alterum *extenſione*, quod paralyſis recentiorum veterumque omnium eſt, alterum *conductione* effectum, in quo articuli cum dolore contrahuntur, et motus cum dolore difficultatus eſt. Hanc conductione effectam paralyſin methodicorum, ſiue articulorum contracturam recentiorum paralyſin fuiſſe, quam in nouo teſtamento

ſcriptores memorant, collatis methodicorum compluribus cum ſcripturae ſacrae locis copioſe probatur.

Tandem, quidnam miraculi in ſanationibus huius paralyſeos ſpeciei a Chriſto copioſe peracta ſubſit, expenditur, eam praeſertim ob cauſſam, quoniam plures e recentioribus omnia ſoſpitatoris noſtri miracula in ſanandis morbis peracta negare, ſaltim parui facere videntur. Probatur autem, paralyſin N. T. talem morbum non eſſe, qui adhibita quacumque naturali medicina ſubito cedat, et ſanationes paralyſeos a Chriſto breuiſſimo tempore peractas vim communes naturae vires excedentem certiſſime ſupponere.

P. 24. Tertia parte de partium ſingularium corporis humani extenuatione agitur ad loca S. S. 1. Reg. 13, 4. Matth. 12, 10. Marc. 3, 1. Luc. 6, 6. Ioh. 5, 5. illuſtranda. Ξηρότης Graecorum eſt, aridura membrorum Latinorum, cui explicandae Cl. vir operam dedit. Hoc nomen morbo dederunt LXX. interpretes, quo Ierobeam rex affectus eſt, quum ſacris adminiſtrandis temere operam daret. Aridura articulorum cum contractura eum hominem affectum fuiſſe putat Noſter, qui ad Bethesdae piſcinam per longiſſimum tempus decubuerat, non paralyſi, vt quidam putarunt; paralyſis enim aut ſenſus, aut motus, aut amborum impotentiam ſupponit, qua aeger ad Bethesdae piſcinam decumbens non laborauit.

Notandum in morbo regis Ierobeam maxime hoc eſt, quod protenſa manus, morbo rege ſubito adfecto, hunc ſitum retinuerit, adeo vt rex retrahere ad truncum manum nequiuerit. Aegri vero noui teſtamenti eodem aridurae morbo adfecti adfectos articulos extendere non potuerunt. Videtur adeo aeger ad Bethesdae piſcinam a Chriſto ſoſpitatore ſan-

natus infernos articulos retractos habuisse, cum corpus quidem, attamen lente, mouere posset, non omen ab altiori loco in profundum decedere. Sequitur inde, regem Ierobeam, licet verbis morbus eius describatur, quae exsiccationem manifeste suppoount, morbo diuerso ab iis laborasse, quo aegri N. T. adfecti fuerunt. Nec fieri potuit, vt protensum regis brachium exsiccaretur, si etiam supernaturalem in inflicto hoc morbo vim statuimus, quum exsiccatus articulus qualiscunque, naturali lege retrahi semper attrahique debeat. Indeque Noſtro conclusio est, regem, terrore subito et ingenti a prophetae aduentu prehensum, tetano manus extensae particulari adfectum esse.

Vera manus aegrae aridura aeger laborauit, cuius mentio Matth. 12, 10. Marc. 3, 1. Luc. 6, 6. occurrit. Nec de morbo, quo aeger ad Bethesdae piscinam decumbens laborauerit, dubitationes magnae sunt, maiores autem circa salutiferam piscinae ipsius virtutem a doctis viris motae sunt.

Complures medici virtutem hanc ab animalium partibus in hac piscina maceratis et putrescentibus deduxerunt, sed haec explicatio difficultatibus summis oppressa est. Minorem longe difficultatem in explicando hi habent, qui omnem vim piscinae a particulis mineralibus coeno insitis, motoque coeno cum aqua aquae ipsi communicatis explicarunt.

Quarta parte de mortuis in vitam reuocatis, quorum mentio in veteri et nouo testamento occurrit, agitur. p. 73.

Omnia eo redeunt, vt discrimen vere mortuorum, eorumque, qui apparenter mortui sunt, recte constituatur. Apparens mors Noſtro ea est, si, sublatis effectibus virium vitalium externis omnibus, in organis interioribus, corde, vasis maioribus, motus adhuc quidam locum habet, arte, admota

mota debita medicina auxiliisque, reſuſcitandus. Alia eiusdem mortis ſpecies ipſi ea eſt, ſi, ſuſpenſis ad tempus virium vitalium effectibus penitus, ipſae vires vitales earumque organa in hoc ſtatu ſunt, vt adhibito conuenienti auxilio ſopitae vires excitari iterum poſſint.

Notiſſima medicis exempla ſunt hominum, quos vere mortuos plurimi putauerant, in vitam reuocatorum, quae copioſe ab Auctore noſtro, in theologorum vſum, ad quos talia non copioſe proueniunt, ſunt prolata. Notiſſima ſunt, quae de incertis admodum mortis verae ſignis, de diligenter iis explorandis, medici copioſiſſime expoſuerunt.

p. 97. Traditis copioſe iis omnibus, tranſitus ad ea eſt, quae de mortuis in vitam reuocatis in veteris nouique teſtamenti ſcriptis occurrunt. Puer, quem Elias in vitam reuocauit. I Reg. 17, 17. morbo ſine dubio laborauerat ſubitaneo, a pituitoſa conſtitutione oriundo. (Conuulſiones ſupponere videtur Noſter, aut epilepſiae inſultus.) His morbis, ſi ſubito necant, apoplexia ſatis frequens eſt, ſubinde animi deliquium, perdurans ſyncope. Modus, quo Elias vitam puero reddidit, ſatis probat, puerum vere mortuum non fuiſſe; Elias enim ſuum calorem puero impertiit, et preſſione oppreſſam reſpirationem reuocauit. Nec pertinaciter vita ſopita ſanationi reſtitit, puero poſt adhibitum auxilium reuiuiſcente.

Puer, quem ſol nimius laeſerat ita, vt vita ipſi non ſupereſſet, omnia inſolationis ſymptomata paſſus eſt, et apoplecticorum modo vita priuatus. Ex his multi in vitam reducuntur, debito adhibito auxilio. Tale auxilium adhibuit Eliſa exanimi puero, cuius corpus in locum ſoli non expoſitum translatum fuerat, ſpiritum inhalando.

Vitam

Vitam perfecte non perdiderat is, qui iniecto corpore suo in Elisae sepulcrum in vitam reducebatur. II Reg. 13, 21. Plura huic opinioni fauent, propera admodum ludaeis sueta cadauerum sepultura, cadaueris in antrum sepulcrale Elisae proiectio violenta.

Eutychum (Act. Apostol. 5, 6 — 10.) ipse Paulus non pro mortuo habuit, animam, ψυχὴν, ipsi adhuc inesse omnibus dicens. Frequentia omnibus paene sunt symptomata mortem perfecte referentia, quibus caput vehementer laesum est.

Iairi filia, Matth. 9, 18. Marc 5, 22. Luc. 8, 41. statim vitam ediderat, quum Christus in auxilium vocaretur. Morbi, quo occubuit, nulla mentio apud scriptores est. Ipse adeo sospitator noster confessus est, animam puellae adhuc supereſſe dormienti, nulla vitae indicia edenti. Physici tamen auxilii nulla mentio occurrit, nisi quod Lucas perhibeat, Christum alta voce exclamasse, manu illius prehensa.

Minorem longe dubitationem admittit adole- p. 112.
scentis historia Luc. 7, 11. a Christo, quum ex vrbe efferretur, quasi in transitu in vitam reuocati. Omnia in hac historia opinionem confirmant, iuuenem vere mortuum, aut saltim supernaturali vi in vitam reuocatum esse, physica auxilia adhibita nulla, reuocatio in vitam verbis: adolescens surge, peracta, caet. Minimam, imo nullam penitus dubitationem Lazari historia admittit, cui, vere mortuo, diuina sospitatoris omniaque humana longe excedens vis vitam salutemque reddidit.

VIII.

VIII.

FRANCISCI HENR. BIRNSTIEL, *med. Doct.* [illegible] *Bruchſalienſ. atque in eadem copiarum* [illegible] *rium, noſocomii F. F. miſericordiae ad St. L*[illegible] *zarum dicti, orphanotrophii et ſophroniſterii* [illegible] *non caeteri principatus Spirenſis ciſrhenani ord*[illegible] *narii phyſici et medici*, de dyſenteria liber, [illegible] ſtens praeter completam dyſenteriarum [illegible] annis 1778. 1779 et 1780. epidemicarum [illegible] hiſtoriam huius morbi, ſingularem natura[illegible] cauſſam et Hippocraticam medendi metho[illegible] dum vna cum perbreui morborum inter[illegible] currentium recenſione. Mannhemii, impen[illegible] ſis C. F. Schwan et Goetz. MDCCLXXXVI[illegible] 20 pagg. in 8v.

Frequentiſſimus pernicioſiſſimusque dyſenteric[illegible] morbus quum ſit, laudabili cura factum [illegible] vt magiſtratus medicique praeſtantiſſimi illi partim auertendo, partim mitigando, operam darent, ef[illegible] cacem quidem felicemque in eo, quod diri morbi poteſtas noxia decreuerit, non talem autem, vt parcum ex hac peſte periculum hominibus ſuperſit. Hinc et ſua Noſter conferre ad eiusdem morbi hiſtoriam et curationem, ſuadentibus inprimis ſummis in arte medica viris IO. PETRO FRANC[illegible] MAXIMILIANO STOLL, non recuſauit, tradita primum morbi atrocis a ſe obſeruati hiſtoria, expoſitis poſtea cauſſis ex auctoribus medicis, tandem curatione morbi data.

*Hiſtoria dyſenteriae anni* 1778. *vna cum ſuccinta et generica morborum intercurrentium recenſione.* Pleuritis rheumaticam indolem habens, nec ſolis ſputis, ſed ſudore et vrina ſimul iudicata, hyeme graſſata [illegible] eſt,

eſt, poſtea idem morbus putridae labi adiunctus eryſipelatoſam pulmonum inflammationem concitauit, non venaeſectione, ſed vomitu, alui fluxu concitato, quem aegri cum leuamine tulerunt, ſananda. Morbus ante vigeſimum diem vix iudicatus eſt, neque decurſum, ſuetum aliis acutis morbis, ſeruauit. Arnicae radices, camphora, ammoniacus ſal, ad hunc morbum admodum valuerunt.

Intercurrentes huic morbo febres remittentes, gaſtricae, copioſae, eryſipelati aut veſiculari exanthemati in capite adiunctae crebro obſeruatae ſunt, quae in intermittentem tertianam frequenter transiere. Iunio menſe, ſub ardoribus ſolis intenſiſſimis diarrhoeae huic febri copioſe adiunctae ſunt. Iulio febris cum torminibus et depreſſorum ſpirituum vitalium ſymptomatibus aucta eſt, aegrique in inteſtinorum difficultatem delapſi ſunt, quae Auguſto menſe, ſparſo admodum contagio, homines, nulla aetate excepta, inuaſit. Rheumaticam indolem morbus, primis diebus, manifeſte habuit, biliosis ſimul ſordibus ſurſum turgentibus, vomitu immani cum acerbo dolore iuncto ſimul vtplurimum excitato. Vomitum aluus torminoſa, copioſa, crudeli teneſmo iuncta, excepit, morbusque in initiis, adminiſtrata leniter purgante et mucilaginoſa medicina, facile depulſus eſt. Qui grauius aegrotabant, tertio die horrore nouo correpti ſunt, qui ſiccus calor cum ſcabra ariditate, ſiti, ſummas inquietates, ſingultum aut ſingultuoſos ructus inducente, ſucceſſit. Largi viſcidique ſudores tormina admodum intenderunt, aluus autem copioſe quidem, at parca, ichoroſa, ſanguinolenta, ſpumoſa, vna cum inteſtinalis tubi ramentis reddita eſt, flammea ſimul et paene intercepta vrina. His omnibus adiuncta ſummae debilitatis et neruorum peſſimo adfectorum ſymptomata.

Poſt

Poſt quatuor aut ad ſummum duodecim dies febris vel in ſanitatem tranſiit, vel in exquiſite putridam, anginam inflammatoriam, parotides inflammatas, in decubitus ad articulos, vel in maniam mutata, aut ſanguinis profuſione quadam iudicata eſt. Nouam autem febrem horror leuis, minutis torminibus, indicauit. Adiuncta ei ſymptomata peſſima quaeuis, ſingultus, extremorum frigus, internis partibus calentibus admodum, abdominis inflatio, mors. Vomitum concitantes medicinas non facile, nec ſemper tulit morbus, ob internarum inflammationum metum: plus effecere purgantia mitia, ex rhei radice confecta, mucilaginoſa, dolorem et neruos ſopientia. Sequuntur vndecim morborum hiſtoriae, quibus dicta illuſtrantur.

p. 65. *Hiſtoria dyſenteriae anni* 1779. Hyeme febres catarrhales acutae cum eryſipelatoſo tumore grauitae ſunt, remittente vero Ianuario menſe hyberno frigore, pleuritides, pleuroperipneumoniae, morbique rheumatici acuti plures inuaſerunt. Febres inſultum, rheumaticorum inſtar, omnes paſſi ſunt, pectoris tamen acuti morbi tuſſi ſputis copioſe eiectis omnes iudicati ſunt. — Februario menſe diuturnis exceptis morbi pauci, Martio vero exeunte colici dolores, torminibus cum teneſmo adiunctis, frequenter homines corripuerunt. Euacuantia parum ſucceſſerunt, ſignis tamen impurae colluuiei praeſentibus. Sanitas aegrotis mucilaginoſa medicina et camphora cum nitro data reſtituta eſt. — Poſtea remittentes et intermittentes febres, venae ſectionem facile ferentes, phlogiſticae, poſtea euacuantibus medicinis ſanandae apparuerunt, et dyſenterici morbi Aprili menſe initia, qui a Iulio vſque ad Octobrem menſem latiſſime diſperſus plurimos corripuit pluresque iugulauit. Exortum

dupli-

duplicem habuit, alterum, febri insigni laſſitudine
iuncta, cum vomendi conatibus, qui tamen abs-
que colluuiei impurae indiciis perſtiterunt, quo in
caſu mucilaginem praebentes medicinae cum maxi-
mo leuamine ſucceſſuque datae ſunt, alterum, cum
plurimo ardore, aluo copioſa, ſanioſa ſtatim, lo-
bo intercepto, eryſipelatoſo oris tumore, ſordium
in primis viis collectarum ſignis, dolentibus prae-
cordiis. Qui morbus vbi in vltimum ſtadium, illi
perfecte ſimile, quod elapſo anno finem triſtem vt-
plurimum morbo imponebat, tranſiit, accedente
praeſertim ſingultu, ſemper paene mortem attu-
lit. Dicta, ſex morbi hiſtoriis adiectis, copioſe
illuſtrantur.

*Hiſtoria dyſenteriae anni* 1780. Rheumaticam p. 91.
verum indolem dyſenteria huius anni, morbique
eam praecedentes alii habuere. Martio menſe
frigidiſſimo et hyberno magis, quam verno, copio-
ſiſſimi bilioſi morbi, rheumaticum genium haben-
tes, exſtitere, inprimis bilioſa pectoris inflammatio,
venaeſectione, iterata etiam, datis poſtea emeticis
et aluum leniter ducentibus medicinis, et veſicante
emplaſtro dolenti pectoris regioni impoſito ſanata.
Quosdam etiam, rheumatiſmis antea affectos, ſilen-
te dolore attonitus morbus inuaſit, at veſicantibus
et antimoniatis medicinis reſtitutos. Aprili menſe
inflammationis nota in pectoris acutis morbis mani-
feſtior, qui tamen bilioſam manifeſtam indolem ha-
bebant, vt adeo pleuritis ictero etiam iudicaretur,
acido-dulcibus et ſaponatis medicinis facile pro-
pagando, aut bilioſa diarrhoea ſpontanea, larga,
aliquot dies perſiſtente. Sudor pauciſſimis erupit.
Morbus eodem modo, quam Martio menſe, ſa-
natus eſt. Variolae etiam diſcretae graſſatae ſunt,
durantéque hoc populari morbo ad vnum fere omnes
alio morbo, varioloſo multum adfini, vexabantur,

remittente febre, cum tuſſicula et crebra ſternutatione, lacrymantibus oculis, accelerato ſpiritu aquoſo vomitu, difficili deglutitione, ſopore, quamtamen mortem vix vlli intulit, ſudore quippe ſpontaneo, ſalutari iudicatus.

Iulio remittens bilioſa febris cum torminibus et aluo ſubinde ſanguinolenta apparuit, ſanguinis detractione, mucilaginoſa medicina, et ſale ammoniaco ſanata. Quosdam dyſenteria iam interierens necauit. Auguſto menſe arthritis inflammatoria, rheumatici et eryſipelatoſi malignissimi ingenii morbi, furunculis et anthracibus coniunctis, periculoſiſſime decurrentes et quosdam adeo pestes, obſeruati ſunt. Dyſenteria ſimul plurimos inuadens Nouembri menſe demum ſiluit, aut ex impuritatis in primis viis collectae ſignis aegrotantes inuadens, aut ſine iis. Facilius morbum tulerarunt, quos febris ſtatim corripuit, difficilius, qui ante febrem tormina per aliquot dies fuerant paſſi; in his enim vires aegrotantium ſtatim admodum lapſae ſunt. Morbum vtrumque ſudor critidus excepit, quo perfecte iudicatus eſt. Aegrotantium hiſtoriae nouem adiectae ſunt, quibus epidemiae indoles et medendi methodus illuſtratur. Qui dyſenterico morbo colluuiei impurae expurgatorum laborarunt, mucilaginoſis praeſertim medicinis et ammoniaco ſale reſtituti ſunt.

p. 131. Morborum, quas hactenus commemorauimus, hiſtoriae, tribus ſectionibus pertractantur. Quarum *de cauſſis dyſenteriae* agitur. Sed in his enarrandis nimio fere et inutili ſtudio auctor verſatus eſt. Quum enim conſtet inter medicos, auctores in diuersum admodum de dyſenterici morbi originibus et natura opiniones tranſiiſſe, veterum inteſtinorum [illegible] cultatem longe aliam, quam recentiorum, fuiſſe latamque admodum eiusdem morbi apud veteres [illegible] ideam

dum, ſequitur, veteres alias etiam longe morbi cauſſas dediſſe, quam recentiores, qui ſub dyſenteriae nomine non tam late patens morbi genus comprehenderunt. Hinc ad vtilitatem qualemcunque huic tractationi conciliandam certe opus fuiſſet segregatione quadam idearum, qua omnis vitata confuſio certoque morbo certae cauſſae aſſignatae fuerint: ſed hoc non perfecit Noſter. Plura quidem legit, verum ſine ſtudio rerumque iuſta aeſtimatione, vt adeo haec libri pars non digeſtam bene quique commodam cauſſarum enumerationem, ſed deconditam nullamque vtilitatem afferentem rerum auctoribus diuerſis, mendacibus et vera referentibus, farraginem contineat. Nec eſt, quod eam ob cauſſam Noſtrum laudemus, quod adducta librorum a ſe lectorum tanta mole doctrinam quandam affectet, ſiquidem tale doctrinae genus facile ac comparare quisquam poteſt, qui libris ſufficienter inſtructus, res in iis contentas transſcribere quidem, at digerere, vera a falſis, conuenientia reiecta illuſtrandae accommodata a contrariis ſeparare, omnique, vt vtilitatem adferant, in lucido ordine, quem requirunt, exponere, non valet. Hinc fuſa haec tractatio operi magis detrimento, quam ornamento eſt, et in rebus medicis nondum confirmato cuique tyroni plus noxae, quam vtilitatis, adferet.

Eadem paene valent de his, quae quinta ſectione pertractata ſunt, ſpecioſo admodum titulo: *de* P. 156. *cauſſis et fede morbi dyſenterici* ornata, in qua auctori ſuopte nulla ſunt, ſed omnia ex aliis auctoribus, non vllo probatorum delectu, et ſine plurimo ordine prolata, adeo, vt, lectis diligenter omnibus, quae, quam ex titulo conceperamus, tam male inſtituque haec tractatio reſponderit, vt falſa quidem plurima, ambigua quaedam, vera admodum pauca, eaque omnibus medicis notiſſima, copioſiſſime

expoſita legerimus, naturae et ſedi morbi dyſente-
rici lucis nihil adfundentia, tyrones adeo facile
veritatis iuſto tramite deducentia, nec conſummati
medicis quid vtilitatis adferentia.

p. 187. Eadem plane in ſexta ſectione obſeruata ſun-
qua *de dyſenteriae curatione* agitur, ita tamen,
auctorum variae ſententiae in claſſes quasdam re-
gantur, curatioque ſecundum has claſſes pertract-
tur. Hae vero claſſes Noſtro ſunt:

1) *putarunt auctores, vt illa, quae ducere oport-
per loca conferentia, et quo maxime natu-
vergit, ducantur,*

2) *alii adſtringentia eaque ſola, ſine aliis me-
nis, omni morbi tempore praeceperunt,*

3) *alii denique curationem inuiſcantem et demul-
tem, ſubiuncta leniter euacuante, et antiph-
ſtica, commendarunt.*

Etſi autem negari non poteſt, medicos in dyſe-
terici morbi curatione in diuerſas partes tranſiſſ
et recentiores quidam medici alui ſolam et co-
nuatam purgationem ad dyſenteriam ſanandam pr-
ceperunt, adſtringentibus tamen recentiores m-
dici (veteres enim aliam morbi naturam ſuppo-
runt, nec tamen in ſolis adſtringentibus acqui-
runt) vniuerſam dyſenterici morbi curationem n-
comprehenderunt, ſed purgata prius aluo lara-
que inteſtinis, purgationes cohibendas cenſuerun-
De mixta autem hac medendi methodo, quae a-
modum inualuit, et ſine qua dyſenteriae curat-
nem abſolui vix poſſe, plurimi auctores ſtatuun-
Noſter vix loquitur, vti et ea ſilentio fere pen-
praetermiſſa eſt, qua, demto inteſtinali tubo mo-
dynis medicinis mordaci ſenſu, deceſſus minui ſo-
lent et requies aegro dolorum reddi. Caeterum e-
hac ſectione res hoc modo expoſitae ſunt, vt auct-
copioſiſſimos quidem auctores citet, ſed de ſuis p-

adferat, nec diiudicandis confutandisue aucto-
opinionibus falsis operam det.

Sed *propria super morbo dysenterico sensa* aucto- P. 242.
noſtri ſeptima ſectione proponuntur. Ait, ſe,
ongo tempore aliis locis peragratis, nullius ante
lo tritis, eo tandem deueniſſe, vt determinandae
firmiſſimo talo ſtabiliendae *vnicae*, *genuinae mor-*
*dyſenterici cauſſae*, *naturae*, *ſedi*, *ac medendi nor-*
se parem factum non temere confidat.

Quae ſi ita eſſent, certe nullo praeconio eſſet
us; hedera enim vinum auctoris non indigeret.
dices poſtulat Noſter, ſed theoria, quam hiatu
nto promiſit, ipſius, talis eſt, vt etiam ſine iudicio
at. Quod re ipſa ſine dubio magis probabi-
quam ſpecioſis verbis, quibus ipſe carus noſter
diuturnas ſudationes et algores inuentor
us eſt:

„*Cauſam morbi dyſenterici ex ſuperantem aëris hepa-*
*ſeu ſulphurei foetentis copiam, alcalina acrimonia*
*minus imbutam largius, aut parcius, citius, aut*
*ius, continuo, aut tardius, modo ex humoribus in-*
*nitis, maxime tamen gaſtricis, modo ex ingeſtis*
*ſuetam, modo ex reſorptis effluuiis reliquos humo-*
*eadem peſte inficientibus vberius in tubum alimen-*
*rem* — alterum praeter pulmones ſanguinem
ſuperabundante vel phlogiſto, vel mephiti alca-
na depurans, atque hodie aut plane ignotum,
aut ſaltem admodum obſcure patens ſolennius or-
gnon, *quouis medio depoſitam, ibique virtute ſua*
*mutata tudentem, ac nauſeas, ructus varios, ſingul-*
*tum, cardialgias, vomituritiones, actuales vomitus,*
*borygmos, tormina, aluum crebram, parcam, di-*
*ſſimam, ſubinde nullam, teneſmum varium, pro*
*ratione ſedis, quam occupat, ac tandem cum varia*
*ſori, reliquam dicatam huic morbo ſymptomatum*
*familiam generantem dico.*“

En praeſagii communis, fore, vt aërea de morbis doctrina reualeſcat, euentus felices! En de aëre chemicorum doctrinam in diriſſimi morbi pathologiam introductam! En explicata per hanc doctrinam omnia tam belle, vt intellectum omnem ſuperent! Non autem Noſtro ſatis fuit, morbi atroci nouam ex aëre explicationem tradere, placuit illi inſuper famoſam illam de aëre factitio vario chemicorum doctrinam nouo aëris genere, *aëre* ſcilicet *hepatico*, amplificare. O virum ſane de chemia et pathologia ventoſa meritiſſimum, o doctiſſimum caput!

Sed haec Noſtro non ſufficiunt. Subtilis etiam eſt, GAUBIUM aemulatus, vt paene mirer, virum cui aliud meritum circa pathologiam haud eſt, quam quod melius omnia exactiusque digeſſerit, ARNSTIELIUM noſtrum in conſortium elegiſſe; vt enim probet ſua ventoſus noſter foedusque pathologus, et auctoritate ornet, dyſenteriam morbum eſſe dicit, quem GAUBIUS *de materiarum ſingularum mixtarum ſcela in aequabili et cohaeſione mutua imminuta* dixerit.

p. 246. Definitio autem dyſenterici morbi ipſi haec eſt: „*Eſt colicae flatulentae ſpecies, ab extricatione aut ſe-*
„*ceſſione aëris caeteris humorum noſtrorum maſſae*
„*conſtitutiuis partibus alias admixti, nunc vero ſeiun-*
„*ctam aëris hepatici alcalina acrimonia plus minus in-*
„*ducntis nata, mediante cuius, tormina ſummae doloro-*
„*ſa, eaque vel vaga, vel fixa, ſolutionem alui acer-*
„*biſſimis ſub doloribus, eamque modo tenuem et par-*
„*cam, diuerſiſſimi coloris et qualitatis, modo nullam*
„*plerumque vrgentia, producuntur, tractu quandoque*
„*in conſenſum veſica vrinaria.“

Dignam ſuo inuentore definitionem plurimis illuſtrat deſumtis ex ſcriptis chemicorum celeberrimorum, quae vero tam male quadrant, vt optima rebus peſſima quaeuis. Notanda in primis ſunt, quae

quae circa aëris hepatici ſulphurei praeſentiam in corpore humano proferuntur, inde explicanda, quod rurus noſter vir de aëris phlogiſtici praeſentia in corporibus morborum quorundam generibus affe- quasdam audiuerit quidem, verum non rite in- lexerit.

Caeterum vti mos viris eſt, qui noua vbique ide arripiunt, licet ſanae rationis, iudicii et ex- perimenti lance nondum ponderata, praecipua dyſ- enterico morbo adiuncta phaenomena a noui hu- hepatico-ſulphurei aëris vi explicantur, ratio, quare dyſenteria tempeſtate calida ſimulque humida graſſetur, quare regionibus tali aëre gaudentibus endemia ſit, quare putredini concitandae tam prona it, caet.

Sed nec haec ſagaciſſimo (vtinam ſcilicet ſaga- ſſimo) naturae ſcrutatori noſtro ſufficiunt. Mor- tum dyſentericum, pro ſymptomatum et effectuum ius ratione vberius expendit, reſpectu ſcilicet ad aërem ſuum habito. Miaſma aëreum a putre- dine productum aëri atmoſphaerico commixtum vbi corpus organicum, fauente vitioſa aëris conſti- tutione, intrauerit, fermentum ex Noſtri mente putredinoſum euadet, ſuccum nutritiuum hoc modo corrumpens, vt plaſticam vim amittat atque adhaeſiuam, et in tabum putridum diſſoluatur. In- de corpus calidius, humidius, diſſolubilius, bilio- ſus, mollius, febrium, haemorrhagiarum alia- rumque praeternaturalium et colliquantium eua- cuationum generationi aptius. Hinc etiam ex ſua mente idem eſt principium putridae diſſolutionis demortuis, aeque ac viuis, niſi in viuis tempus ſuppetebat depurationi proprio demortui veneni exturbatori. — Omnia, verbo, quae ad origines morbi dyſenterici pertinent, ex huc aëreo princi-

pio deducuntur, tranſitu etiam ad morbos putridos qualescunque, qui mire confunduntur, facto.

Sed non ſufficit Noſtro, origines, decurſum, effectus tranſitumque dyſenterici morbi hoc modo explicaſſe, tranſitus ipſi ad altiora etiam eſt, medendi videlicet methodum, in qua plurima proferuntur, quae glorioſum oſtentatorem magis, quam verum et fidelem naturae indagatorem miniſtrumque, redolent. Eluſa enim opera Clariſſimorum virorum, qui in infringenda morbi dyſenterici vi lethifera operae ſuae partem haud exiguam cum plurima laude et ſucceſſu ſummo poſuerant, Noſter, magno certe hiatu vanus et glorioſus promiſſor, gloriatur, *ſe primum primas lineas* (medicamenti ſcilicet antidyſenterici generalis et vniuerſalis) *indigitaſſe, qua ratione vna morte minus moriamur.*

Methodus autem eius omnem a dyſenteria mortem depellens haec eſt: Omnia ſcilicet eo redeunt, vt alcalinus aër corrigatur, vtque mediam naturam ammoniacalem, adeoque putredini aduerſam, acquirat, vt, mixtione in viſceribus corporis interna inſtituta, ſpiritus MINDERERI emergat. Hinc ſuperfluа putat, immo nociua omnia, quae exterminandae materiae per morbum corruptae aut ipſi morbidae fauent, vomitum concitantia, purgantia aluum, corrigi enim omnia in viſceribus debent medicinis conuenienter datis. Haeque medicinae in eo conſiſtunt, vt arnicae florum infuſio cum aceto propinetur et aqua cum vitrioli ſpiritu copioſe potentur (ob aërem forte ex acidi mineralis in vegetabile actione natum.) His medicamentis factum eſt, vt morbus dyſentericus, ſiue inflammatorius, ſiue putridus, nunquam diem quartum curationis ab adhibita radicali medela transſcenderet, vtque per totum hoc tempus nec fomento, nec linimento, nec clyſtere opus eſſet.

Non

Non autem ſoli dyſenteriae curandae haec medendi methodus ſemper conuenit, verum etiam inteſtinorum inflammationi, ſiue a dyſenteria, ſiue a tubi alimentaris ſpasmis inductae.

Prophylaxis etiam morbi huic theoriae ſuperſtructa eſt. Qui diu noctuque inter dyſentericos verſantur, morbo rariſſime corripiuntur, ſi medicamento ex camphorae grano, aluminis crudi granis quatuor et ſalis ammoniaci granis duobus vtuntur. p. 311.

Habes nunc, commentariorum noſtrorum lector beneuole, methodum, qua dyſenteriam atrociſſimam mortis expertem reddere, ſine euacuatione, ſine dolorum lenimine, ſine adſtrictione plurima vales. Sed quam parum omnia ad dyſenteriam haec valeant, experimentis celeberrimorum virorum comprobatum eſt, qui aegros acidis copioſiſſime datis ſanare non potuerunt. Plura certe in dyſenteria medicamentis peragenda ſunt, quam Noſter, vana, nullo modo probanda theoria ductus, praecepit. Nos autem, licet impenſe laetemur, chemicam ſcientiam noſtris temporibus a tot ſummis viris magnopere nouis inuentis exornatam, pathologiae tamen fata dolemus vehementer, cui omnia vix inuenta, neque ſatis adhuc diſcuſſa, Minerua tam rudi applicantur, quaſi humanum viuum corpus alembicus eſſet, in quo omnia eodem modo ſuccederent, quali chemico igni ſubiecta ſuccedunt.

## IX.

*Pathologie der Krätze, von* IOHANN ERNST WICHMANN, *der Arzneygel. Dr. Königl. Grosbritt. Hofmedicus zu Hannover, Mitgliede der Königl. Geſellſchaft der Wiſſenſchaften in Göttingen und*

*der Geſellſchaft naturforſchender Freunde zu Berlin. Mit einem Kupfer. Hannover, in der Königl. Hofbuchhandlung der Gebrüder Hehning. 1786. in 8. 9 plagg.*

i. e.

Scabiei actiologia, auctore IOANNE ERNESTO WICHMANN.

Rixas multiplices et contentiones eruditorum varias exanthematum in corpore animali variorum origines mouerunt, aliis ea a verminoſa progenie deriuantibus, aliis vero ab humorum partim totius corporis, partim ſubcutaneorum aut ſpontanea, aut caſu, aut artificio inducta corruptione. Quae rixae quum compoſitae nondum ſint, LINNEO inprimis cum aſſeclis ſuis, celebratiſſimo maxima ex parte viris, exanthematum ab inſectis vermibusque origines defendente, aliis vero easdem pertinaciter negantibus, operae pretium ſe facturum illuſtris opuſculi huius, cum doctrina plurima et ſagacitate in obſeruando haud vulgari conſcripti, auctor putauit, ſi in ſcabiei origines exactius inquireret.

Occaſionem autem quum crebram admodum haberet propriis experimentis exactisque obſeruationibus dubiam de ſcabiei originibus quaeſtionem enucleandi, omnesque obſeruationes ſtudio haud vulgari inſtitutae illum de inſectis, ad acarorum genus pertinentibus, ſcabiem inducentibus tam certum redderent, vt veram ſcabiem non exſtare inficiatus putet, quae animalcuiis talibus non producta et in alios propagata ſit, laudabili opera, quae in primitos ſuosque vſus didicerat, publici iuris fecit, plurimis praeſertim noſtris temporibus LINNEI, no-

BEI-

BERTRINII, PRINGLII aliorumque, qui ſcabiem ab inſectis vermibusque deduxerant, opinionem parui facientibus et negligentibus.

Ipſum autem opuſculum licet anguſto admodum 140 pagellarum ſpatio comprehendatur, plurima continet notatu inprimis digna illuſtrandis ſcabiei et aliarum efflorescentiarum originibus apprime inſeruientia, quorum paulo prolixiorem in commentariis noſtris rationem dare expediet.

Satis antiqua eſt de ſcabiei ab inſectis originibus opinio, originesque illius in ea tempora cadunt, quibus animalis pathologia et aequiuoca generatio a medicis ſtabilita eſt. Sed hanc opinionem medici non habuerunt, vt ſcabiem ab inſectis produci adſerent, putredinem potius accuſantes et inſecta per eam nata. Saeculo vero XVII, quo microſcopiorum experimentis magis accommodatorum vſus inualuit, plures eorum adminiculo in nouis eruendis detegendisque verſantes, animalcula viua inſectaque vbique inueniſſe putarunt, mira quidem imaginatione ſubinde ſeducti, attamen etiam videntes armato oculo quaedam, quorum veritatem poſtera demum aetas demonſtrauit. MOURETVS, Anglus, microſcopio ſine dubio adiutus, ſcabiem inducentes acaros in opere MDCXXXIV. edito deſcripſit, facta etiam Germani nominis mentione, quo probatur, Germanis haec inſecta diu iam nota fuiſſe. „Ita ſub cute habitat ſyro (ita acarum ſcabiei vocat), vt actis cuniculis corpori, praecipue manibus ingeneret, extractus acu et ſuper vngue poſitus mouet ſe, ſi ſolis etiam calore adiuuetur. Hoc obiter obſeruandum, ſyrones non in ipſis puſtulis, ſed prope habitare. Humore aqueo in puſtula abſumto vel exſiccato, breui omnes intereunt. Neque ſyrones iſti ſunt de pediculorum genere; nam illi extra cutem viuunt, hi vero non.“

Haec

Haec ex MOUFETO deſumta verba nota ipſi fuiſſe haec inſecta ſatis probant. Germanorum autem medicinales libros his temporibus conſcriptos copioſe euoluens Noſter, vix loca inuenit, quibus nota medicis fuiſſe eadem inſecta probari poſſet, nocepta forte ſolum a vulgo opinione. HAUPTMANNUS tamen, inſignis iſte pathologiae animatae inſtaurator, in libro Lipſiae XX. poſt MOUFETUM annis, anno ſcilicet MDCLVII. edito: *uhralter Wolkenſteiniſcher Bad und Waſſerſchatz*, nomen acarorum ſiue cyronum Germanicum et Latinum adducit, conuenientiaque haec inſecta cum caſei acaris videri adſerit. Primus etiam figuram acari ſcabiem inducentis, at rudem, aucta microſcopio forma, exhibuit.

Caeteri horum temporum et antiquiores ſcriptores, quos Noſter euoluit, omnes de his inſectis ſilent, MOUFETUS vero ex AVENZOARE locum citat, quo eadem inſecta deſcribuntur. HENREFFERUS in cutis noſodochio acarorum in tranſitu quaſi mentionem fecit. REDI eos non memorauit, datamque ad ſe epiſtolam BONOMI, qua haec inſecta deſcribuntur, neglexiſſe videtur.

BONOMO autem haec gloria debetur, quod inſecta haec exactius, quam antea, deſcripſerit, eorumque veras origines effectusque demonſtrauerit, epiſtola ad FRANCISCUM REDI anno MDCLXXXIII. italice data, poſtea miſcellaneis academiae naturae curioſorum et transactionibus Anglicis inſerta. Ea in Germanicam linguam verſa in opuſculo legitur.

Cuius rei fama ad exteros quidem ſtatim peruenit, at theoriam de ſcabiei originibus non mutauit. Qui etiam de iis ſcripſere medici, omnia ex BONOMO deſumſerunt, proprii nihil addiderunt. BONANNIUS, RIVINUS et BAKERUS eadem in libris ſuis repetierunt, quae BONOMUS dixerat, ico-

nes

nes etiam ex BONOMO desumserunt. Qui armato oculo perscrutandae naturae operam dederunt, celeberrimi viri LEEUWENHOEKIUS, REAUMUR, SWAMMERDAM, alii, acaros hosce praetermiserunt.

Nullius paene medicis vsus fuere a BONOMO detecta, ad ea vsque tempora, quibus LINNEUS naturali historiae operam dedit. Scripta anno MDCCLVII. dissertatio eius de viuis exanthematibus effecit, vt acarum exulcerantem plurimi medici scabiei caussam vnicam statuerent.

Transitus, historia data, Nostro nunc ad ipsum acarorum genus est, cui accurate determinando et describendo parum operae hactenus insumtum est. Non autem cum vniuerso et amplissimo acarorum genere Noster occupatur, sed cum iis tantum acaris, qui scabiem inducunt et in farina situ corrupta nidulantur. Hos summi viri miscuere, vnamque speciem constituere statuerunt, LINNEUS praesertim, qui adeo scabiem in pueris oriri adserit, si corpus eorum, ad madorem absumendum, farina vetusta conspergitur, PALLAS tamen scabiei acarum acaro farinae consanguineum dixit, differentia inter vtramque speciem notata. Magis adhuc differentiam notauit DE GEER, notis etiam additis, quibus vterque acarus cognosci queat, et iconibus datis, differentiam apprime illustrantibus. Eandem differentiam Noster, copiose institutis observationibus, constantem inuenit, eademque responsio summi in hac historiae naturalis parte viri, GÖZE, fuit, differre essentialiter acaros farinae, casei et scabiei docentis, vt adeo scabiem inducens acarus *humani acari* nomine insigniri queat.

In scabiei autem pustulis, humanus aca- p. 42.
rus certe sedem habet, non vero in omnibus, quam ob caussam etiam plures in historiae naturalis studio

non

non ſatis verſati hos acaros penitus negarunt, qui de efficacia eorum in ſcabie inducenda dubitationes mouerunt, minime in latis iſtis, flauis et diu ſuppurantibus puſtulis, in quibus, data licet enixe opera, Noſter acaros nunquam inuenit. Conſtanter autem acarus in his ſcabiei exanthematibus reperitur, quae nouiter exorta humorem albidum pellucidumque continent. Hinc in aegris ſcabie recenter infectis obuii maxime ſunt, in his, qui malum hoc per longum tempus iam perpeſſi ſunt, non aeque. Naturali acie oculi in recentibus dictis veſiculis punctum albidum, colore ſuo a reliquo diſtinctum conſpicitur, quod inſtrumento extractum ferreo, lingneoue, cui tenaciter adhaeret inſectum, motu ſpontaneo gaudens, viſui obuium conſtituit. Saepe ante talem veſiculam in cute natam, linea rubra in cute conſpicitur, ſulcum ſiue canalem referens, quem acarus ſibi parauerat, in talibusque canalibus acari frequentiſſime reperiuntur. Videntur haec animalia, aliorum inſectorum more, ſobole generata procreataque ſtatim mori. Amicus Auctori, ſcabie affectus inſtitutis crebro experimentis adiutusque microſcopio, ex his canalibus acaros copioſe protraxit, terminatis ſubinde canalibus in pellucidas iſtas puſtulas, quae tunc acaros non continebant, aut pluribus e puſtulis canalibus prodeuntibus, acaris ſedem et domicilium praebentibus.

p. 49. Vt autem magis pateat, quinam morbus ab acaris producatur, qualisque, ſymptomata, quibus ſcabies ab aliis morbis illi ſimillimis diſtinguitur, exacte deſcribuntur. Non enim in qualicunque cutaneo exanthemate, neque in puerorum morbis ſenumque ſcabiem referentibus, neque in venerea, ſed in vera ſolum et exquiſita ſcabie talia inſecta reperire licet.

Vera

*Vera* autem *ſcabies* has origines habet: puſtulae albae, exiguae, diſperſae, ſolitariae, nodulos referentes apparent, quae mox in puſtulas veſiculoſas eleuantur, humorem pellucidum continentes, mole ſenſim creſcentes, primum digitorum manusque articulos, poſtea totum corpus, ore tamen ſemper excepto, ſenſim occupantes. Pellucidus humor ſenſim flauedinem purulentam induit cruſtamque, laceratis puſtulis, albam format. Scabiei inter ſiccam humidamque differentia nulla eſt. Pruritus a pellucidis veſiculis tantum pendet, isque pruritus, noctu, a lectuli calore exacerbatus, ſymptoma primarium, quo ſcabies ab aliis ſimilibus morbis diſtinguitur, conſtituit, vt vere medicus aſſerere queat, ſcabiem tunc ſemper adeſſe, ſi aeger a lecti calore intenſum pruritum ſentit. Vera ſcabiei contagium ſolo attactu propagatur.

Facile autem cum ſcabie alii morbi, diuerſam longe naturam habentes, confunduntur, nempe

1) chronicus quidam cutaneus morbus, totum corpus, infernos praeſertim articulos occupans, ſcabiem tam perfecte referens, vt tantum in primis ſuis originibus a vera ſcabie diſtingui queat. Oritur autem hic morbus non tali, quo ſcabies, modo, excitatis ſtatim in vniuerſo corpore maioribus papulis, pruritum intolerandum paene inducentibus. Hic morbus medicamenta externa, ſcabiei ſanandae idonea, non fert.

2) venerea incongrue dicta ſcabies, alio nomine inſignienda, alias origines habens, et aliam curandi methodum requirens.

3) Non raro accidit, vt decrepiti ſenes cutaneo quodam morbo corripiantur ſcabiem ex omni paene parte referente, in eo tamen ab ea diuerſo, quod totam corporis ſuperficiem occupet, intactis tamen a morbo digitis manibusque, quodque puſtulis nodulis-

dulisue ſolitariis, non pellucidis, die etiam pruritum vix tolerandum concitantibus conſtet. Hoc exanthematum genus admodum rebelle eſt, et ſine inſigni alio valetudinis detrimento per plures annos ferri ſolet. Ceſſit ſubinde, at raro, medicinis antimonialibus datis.

Demonſtrata acarorum in vera ſcabie praeſentia, quaeſtionem nunc mouet Noſter, num ſcabies ab his acaris inducatur. Difficilis autem ad eam eſt perfecta et ex omni parte abſoluta reſponſio, quum cauſſarum et effectuum permutatio admodum facilis ſit. Viam Noſter hanc elegit, vt, diſcuſſis confutatisque aliorum de ſcabiei originibus opinionibus, ſuam adſtruat, quod in re tam dubia ambiguaque ſatis laudari non poteſt.

p. 70. Primum itaque argumenta eorum illuſtrantur, qui inſecta quidem in ſcabie praeſentia admiſerunt, verum in iis non cauſſam morbi, ſed potius menditiei neglectae effectum poſuerunt. Complures ex his inſectorum ex putredine generationem aequiuocam ſupponunt, exploſam iam ab omnibus naturae veris ſcrutatoribus. Alii eosdem in ſcabiei fontes inſecta habere putant, quales in vulneribus neglectis, vlceribus antiquis vermes habent, hique, neglecto vero horum inſectorum ſtudio, vermes etiam in ſcabie ſuppoſuerunt. At cadit eorum opinio nullis experimentis ſtabilita, neque ſtabilienda, ideo praeſertim, quod tales acari, quales ſcabioſi habent, in vera tantum ſcabie, nec in vllo morbo alio aeque licet immundo et impuro adſint. Alii etiam longe vulnerum vlcerumque vermes origines habent, quippe qui a muſcis in ea feruntur, dum iam adoleuerunt et putredine corrupta ſunt. Si denique ſcabiei eadem ratio, quam vlcerum verminoſorum, eſſet, inſecta in puſtulis grandioribus, in quibus humorum corruptio intenſior eſt, copioſiſſima

ſima reperirentur. Et tamen acari ſemper fere ſcabiei recentis veſiculis primum exorientibus, non pure, ſed albo humore repletis, reperiuntur. Nec ab effoetis antiquisque puſtulis pruritus amplius eſt, hinc etiam acari in iis vix quaerendi. — Qui munditiei enixe ſtudent, a ſcabie quidem immunes vtplurimum manent, verum hos ideo morbus vix occupat, quoniam acaris nulla occaſio ſedem figendi datur. Hinc ſcabie affectae lotrices manus vtplurimum ab exanthemate ſcabioſo liberas habent.

Tranſitus ab his ad alteram quaeſtionem eſt, p. 78.
num critica aut a materiae morbidae in alium locum factae metaſtaſi ſcabies vere exiſtat. Non exiſtere talem ſcabiem probatur, vti et venereus morbus, qui ſcabies dici poſſit, non exiſtit. Certum quidem eſt, adduci a medicis exempla plurima morborum diuturnorum admodum rebellium, ſanationem non admittentium, niſi ſparſa per vniuerſam corporis ſuperficiem ſcabie: et talia morborum hoc modo iudicatorum exempla ex noſocomiis ciuilibus et militaribus maxime proueniunt, in quibus ſcabiei, ob vix praefocandos acaros, ob munditiem vix ſatis ſervandam, lectulos crebros ſcabioſis acaris conſpurcatos, caet. ſumma opportunitas eſt. In tali noſocomio decumbens ſcabiem vix vitare poterit, vti prorſus a rabido cane hydrophobiam. Notum eſt, chronico morbo correptos in noſocomiis ſcabie vtplurimum tentari, ob moram videlicet in noſocomio diuturnam; acutis enim morbis in iisdem decumbentes non tam facile eodem contagio inficiuntur, quoniam hi morbi citius terminantur.

Suſpecta ſane admodum critica dicta ſcabies eſt, inferioris conditionis hominibus quippe tantum communis, caeteris, inprimis opulentioribus, nunquam ſuperueniens. In errorem medici illapſi ſunt (par-

tim criticam cutaneam efflorescentiam morbo ſu
peruenientem eumque ſoluentem pro vera ſcabi
habentes, partim) ea, quae poſt morbum quen
dam accidunt, pro morbi effectu neceſſario habe
tes. Errores circa morborum cauſſas commiſſi me
dicis admodum ſane faciles copioſique ſunt. Negot
autem critica ſcabie, non eſt, quod ſimul negemu
poſſe, inducta obortaque difficili quodam et di
turno morbo decumbenti ſcabie, hos morbos
nouo morbo aut vehementer mitigari, aut po
pelli. Sed in hoc caſu ſcabies eodem plane mo
agit, ex Noſtri ſententia, quo veſicae arte in cu
poris ſuperficie excitatae, ſinapiſmi, ſetacea, ſu
ticuli (crediderim tamen paulo alio, ob conſti
tem magis, vniuerſalem corpori inductam irrita
nem, ob humorum cutaneorum corruptionem, l
quationem, ab infeſtis cutaneis inſectis inducta
Artificialis etiam inſitio, morbos, quorum pa
inſtituitur, depellens, probat ſalutiferam quid
cutaneam a nouiter inducto morbo irritationem
nec tamen theoriae de acaris ſcabiem inducenti
penitus aduerſa eſt.

p. 83. Aduerſum etiam ab acaris hauſtae theoriae i
eſſe videtur, quod expelli ſcabiem ab aquarum m
neralium potu quidam dixerint. Sed aquae ſul
phuris copiam maximam continentes ſcabiem vi
propellunt, niſi in corpore iam exſtiterit.

Morbis autem quibusdam, cutaneis praeſertim
diuturnioribus, naturam adſueſci omnesque humo
res nociuos ſibi infeſtosque in eam corporis partem
propellere, quae exanthemate aut vlcere quodam
laeſa eſt, in dubium vocari nequit. (indeque etiam,
inconcuſſa penitus de acaris ſcabiei theoria, pau
effectuum a ſcabie nimis propere ſanata oriundo
rum petenda eſt.) Attamen vbi acuto morbo ſca
bie infecti corripiuntur, ſcabies conſtanter pacem
eu-

neſcit, omnesque tunc morbum acutum a re-
greſſa ſcabie ortum eſſe putant, inprimis quum,
erato acuto morbo, ſcabioſa exanthemata priſtina
s iterum frequenter occupent. Satis ſpecioſa
eclusio ex his eſt, acutum morbum a ſcabie eua-
ta ortum morbumque eundem, reſtituto cutaneo
rbo, ſanatum eſſe. Sed permutatio cauſſarum
effectuum hic locum certe habet. Scabies enim
elam aduerſus alios morbos non praebet, et oc-
ione data, ſcabioſi in alios, acutos etiam, morbos
idunt. Vidit Noſter, quod et ab aliis viſum eſt,
riolas ſcabioſos pueros occupaſſe, ſcabiemque ſi-
ſſe, donec, ſuperato varioloſo morbo, recruduit.
pparet ex his, molem morborum a retrogreſſa ſca-
e tantam vix eſſe, et opinioni, qua in externis
ſcabiem medicinis periculum tantum ponitur,
rmitatem deeſſe. — Frugum molitores piſtores-
e ſcabie rariſſime tentantur, licet farinam aca-
s continentem ſaepius tractent: at hi acari non
nc naturam habent, vt ſcabiem inducere poſſint.
Firmum itaque Noſtri de acaris ſcabiem indu- p. 91.
entibus theoria fundamentum habet, licet ſcabiei
binde immundities anſam det, ipſaque poſt mor-
os varios, aquarum mineralium vſum, appareat,
etrocedat, neque frugum molitores piſtoresue
arripiat. Omnibus autem aliis de quocunque
orbo theoriis haec praeferenda eſt, quae ſym-
tomatum praecipuorum, et naturae ipſius expli-
ationem facillimam et maxime naturalem ſuppe-
ditat. Forte etiam ipſa adeo ſcabiei retroceſſio et
etropulſio ab ipſis hiſce acaris explicanda eſt. For-
an ipſi hi acari a reuehentium vaſorum oris ex-
epti et in internas partes delati turbas ibi creant,
orſan ouula inſectorum vaſis excepta in internas
artes deducuntur: conſtat enim, maioris molis cor-
pora ab his vaſis excepta eſſe, molemque inſecto-

rum ſaltim huic opinioni non aduerſam eſſe. (For
tamen non opus eſt, vt ad ipſa haec inſecta ou
ve recedamus. Corrumpi cutaneos humores
ſcabie ab inſectis, ab irritatione, inflammatio
quam inducunt, ſuppuratione, certum eſt: hi
ro corrupti humores ſi ſine acaris in internas p
tes feruntur, plures certe noxas, irritando, a
modo inducere poſſunt: minus difficultatis
haec explicatio habere videtur prae illa, q
doctiſſimus et ſagaciſſimus Auctor attulit, qui
acaros reſpexiſſe videtur, non vero effectus e
praeſentaneos neceſſariosque, quibus cutaneos
mores ab his inſectis corrumpi oportet.)

Scabies in febrium acutarum initiis ſtatim
neſcens facilem explicationem admittit. Feb
horror vniuerſam corporis ſuperficiem mutat,
abſonum eſt a veritate, quin haec inſecta, hoc h
rore durante, rigeant et in ſolitum talibus an
culis ſoporem coniiciantur. Pruritus, ab ac
rum motu pendens, torpidis acaris, ceſſat, pu
lae exſiccantur, plures autem acari licet vere n
riantur, quidam tamen ſuperſtites manere poſſ
forte ouula etiam foeta, quibus, ſuperato ac
morbo, antiquus morbus facile regeneratur. P
ritus calore ſemper auctus, frigore remiſſior, h
explicationi ſane admodum fauet.

Aſthmata tamen aliosque pectoris morbos p
ſcabiem retropulſam ſolui balnei ſulphurei vi
propellentium medicinarum certum eſt, et ex ac
ris ab infenſo illis ſulphureo veneno concita
explicandum.

p. 98. Vt autem ſcabies ab altero in alterum tranſ
diſpoſitione quadam corporis, receptiuitatem v
cant, opus eſt. Omnia autem phaenomena h
obuia ex acaris facilius longe explicari patiuntur
quam ex alio quocumque fermento vel miaſmat

Ne

ſe aduerſum de acaris ſcabiem excitantibus theo-
e eſt, quod in quibusdam morbus, licet conta-
illius expoſiti ſint, non producatur. Cuilibet
mini ex Noſtri ſententia propria atmoſphaera,
cifica exhalatio eſt, qua mediante canes domini
orem a quocunque alio diſtinguunt. Si autem
halatio cuidam talis eſt, vt acari eam fugiant,
m hominem ab ipſo morbo immunem perma-
re neceſſe eſt.

Maximum autem probationis pondus theoriae
ſitae a remediorum ad ſcabiem vti-
effectu deducitur. Certum eſt, medicos com-
res ſcabiem externorum medicamentorum ope
ſſe, ignorata licet vera illius cauſſa; ſulphuris
m vſum iam CORN. CELSUS commendauit. Ar-
is quoque vix numerandis ad ſcabiem medicinis
mper ſulphur aut argentum viuum ineſt, vt gum-
guttae omnibus aduerſus taeniam medicinis.
nae externae medicinae ſcabiem ſemper depellen-
s argumento ſunt, morbum in ſola cute reſidere,
nnemque ſuam in cute cauſſam habere.

Longe infeliciorem ſucceſſum curationis hi ex-
untur, qui ſcabiei origines ab interna cacochy-
quadam deducentes morbum, externa medicina
iciter ſanandum, internis, ſanguinem alteranti-
s, adgrediuntur. Exempla enim copioſa admo-
m proſtant ſcabioſorum, datis etiam medicinis
acibus maxime, nullo modo ſanandorum, fa-
le vero, adminiſtrata externa medicina. Exter-
e autem medicinae morbo, ab interno humorum
io nato, ſanando certe non ſufficiunt. Internae
edicinae ſcabiei ſanandae quum rariſſime hacte-
s ſuffecerint, neque multa ſanatae verae ſcabiei
lis internis medicamentis exempla a ſulphuris aut
ercurii in cutem actione tamen explicanda ſubin-
proſtent, patet quidem, morbos cutaneos ſca-

biem referentes his medicinis ſanatos, raro ve
verum morbum, quem internae medicinae om
neglectis externis, admodum protrahunt.

Repulſionem ſcabiei non impoſſibilem eſſe,
ris ſcabiem excitantibus, ſupra probatum eſt.
vero ab adhibitis externis morbi non ſemper
nes has habent, vt a morbida ſcabiei materia re
grada pendeant, ſed potius ab ipſis medicame
externis nimis propere, praepoſtere, larga m
caet. adhibitis. Efficaciſſimae medicinae ſem
maximum vitae periculum ſibi adiunctum ha
vnguentaque qualiacunque, praeſertim cum
curio compoſita noxas certiſſimas adferunt, ſi,
ducta iis magna ſuperficiei corporis parte, cor
frigori exponitur. Morbus vero tunc non e
tropreſſio cutaneo morbo, ſed a perſpiratione i
preſſa naſcitur. Facilis ſane admodum erro
rum etiam ad ſcabiem medicamentorum eſt abu
inprimis quum medici errore ſeducti alium ſe
cutaneum morbum, internis ſanandum medic
pro ſcabie vera habeant.

p. 130. In externis itaque medicinis vera ad ſcabi
medicamenta auxiliaque ſita ſunt, nec opus eſt,
nouis admodum inhaereamus, veteres habentes
antiquas probatiſſimas. His medicinis, balneis
munditie omnis curatio abſoluitur, nec opus eſt,
exactam valde aegroti diaetam obſeruent. Quib
medicinis ſi morbus non cedit, ſemper cogitand
eſt alius naturae morbum ſubeſſe, ſuis medicin
ſanandum.

Expellentes medicinae omnes admodum a com
pluribus medicis laudatae parum auxilii praeben
omne quippe in interno ſulphuris vſu, calore, ba
neis tepidis, cutem fouentibus et emollientibus
poſitum eſt. Si neceſſaria aegro ſcabies eſt, inſi
tio artificialis vix ſpem vnquam fallit. Febribus
autem

item perseuerantibus, scabies expelli non debet, ponte, superato febrili morbo, reditura.

Tandem de phthiriasi, illiusque cum scabie similitudine agitur. (Phthiriasin non satis commode, nec ad veterum mentem vocat capitis tineam, inutilem praesertim morbum constituentem.) Haec etiam externis tantum medicamentis cedit (non penitus certe, et cum cura summa adhibendis: hic etiam morbus, quem pediculi sine dubio intendunt augentque, facilius quidem tollitur munditie studiosissime obseruata, depulsisque infectis istis: at vix sine summo vitae et futurae prosperae valetudinis periculo, quod etiam MURRAY, V. Ill. nuper praeclare probauit, solis externis medicinis sanatur, siquidem humorum ad caput delatorum degenerationem quandam, internis medicinis corrigendam supponit.)

Tandem adseritur medicinas ex sulphure aut p. 138
mercurio paratas optatum effectum edere, si vesiculae albidae istae aut sulci acaros continentes adsunt. Antiqua et suppurantia scabiosorum vlcera his medicinis non cedunt, sed aliis, quibus excoriatis carnibus cicatrix inducitur.

Tabula aenea adiecta acarorum formam variam ex BONOMO et propriis doctissimi Auctoris experimentis exhibet.

## X.

Rudimenta pyretologiae methodicae. Auctore C. G. SELLE, medicinae Doctore et Professore et charitatis nosocomii Berolinensis medico. Editio altera, priori auctior et emendatior. Berolini, apud Chr. Frideric. Himburg, MDCCLXXXVI. in 8. 1 Alph. 2 plagg.

Congeſſerat Illuſtris huius operis praeclari iterum editi doctiſſimusque Auctor febrium aegritarum diuerſa genera ſpeciesque, digeſtasque commode in inaugurali diſputatione Halae habita, exhibuerat. Qui labores quum a medicis admodum laudarentur febrium ordinandarum methodum naturalem maxime continentes, digeſto copioſus febrilium morborum ordine, notis genus et vnamquamque ſpeciem diſtinguentibus ex optimis probatiſſimisque auctoribus additis, nec non complaribus ad his morbis medendi methodum, libri forma Berolini, anno MDCCLXXIII. editi ſunt*), quem nouis laboribus auctiorem longe et varie amplificatum Illuſtris Vir iterato edidit. Non eſt itaque, quod totius libri argumentum copioſe exponamus, opus autem eſt, vt, quaenam addita recentia ſint, paucis enarremus.

Febres, vt notum omnibus eſt in continentes, remittentes, atactas et intermittentes Noſtro diuiduntur. Continentes aut putridae aut inflammatoriae ſunt, remittentes, aut cum colluuie primarum viarum impura, bilioſa, bilioſo-putrida, pituitoſa, aut cum verminoſa colluuie, aut cum metaſtaſi lactis ad viſcera abdominis, qui articulus noviter huic editioni acceſſit, iunctae ſunt, aut ab interno vlcere viſcerumue obſtructione pendent. Atactas autem febres neruoſae acutae ſporadicae, aut acutae ex contagio, aut denique lentae neruoſae conſtituunt.

Hic generalis ordo eſt, quem Ill. Vir in febribus ordinandis et enarrandis obſeruauit, in quo hoc forte taxandum eſt, quod exorſus a ſupremo quoad vim, periculum et decurſum febrilium morborum genere, ad inferiora, mitiorem decurſum habentia

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XX. P. I. p. 77.

tia transierit, tandemque intermittentes febres pertractauerit, quum praestitisset forte ab intermittentibus ad remittentes, ab iisque ad continentes, ordine modoque satis naturali commodoque transgredi.

Primo ordini, quo inflammatorii morbi pertractantur, plura haud addita sunt, quaedam tamen continentis inflammatoriae enarrationi, HEWSONI et HEY potissimum de crustae inflammatoriae originibus opinionem exhibentia, nec non exp. 103. MOSCATI experimentis quaedam, ad phlogisticae diatheseos naturam ex phlogisto explicandam pertinentia. Addita quaedam etiam sunt, quibus dispositionem ad febres in neruorum insueta sensibilitate et muscularium fibrarum agilitate summa consistere asseritur. p. 102. p. 104.

Synocho imputri GALENI notae distinctiuae accesserunt, nec non de vniuersalis suppurationis specie quaedam, quae in cadaueribus hac febre demortuorum animaduertitur, quaedam etiam de febribus inflammatoriis pro causarum materialium concursu ordinandis, pluraque alia, inprimis de inflammatione absque vlla febrili nota decurrente. p. 106.

Speciebus continentis inflammatoriae accessere p. 118. inflammatio laryngis membranacea, angina polyposa etiam recentioribus dicta, bronchiorum inflammatio, siue pectoralis angina, in inflammationis partis conuexae hepatis notis plurima mutata sunt, nec non in notis inflammati a varia causa, ab ardore solis, aliisue cerebri. Pesti inflammatoriae quaedam ex recentioribus obseruatoribus, de MERTENS, SAMOILOVITZ, accessere, aucta etiam admodum in varioloſum morbum epicrisis est. Inflammatoria continens exanthematibus cutaneis adiuncta febris specie variolarum spuriarum aucta est, quas a veris gradu tantum p. 132.

p. 168. tum differre, Noſter autumat. Eidem generi rubeolae etiam acceſſere, et tractationi de febre miliari inflammatoria quaedam, quibus probatur, morbum hunc ſaepe a retropulſo lacte aut a lymphae abundantia oriri.

p. 197. Continentis putridae enarratio additamentis compluribus, maxime ad curationem, aëris ſui efficaciam, caet. pertinentibus, aucta eſt, nec non in ſpeciebus pharyngis inflammatio, peſtis. Novas ſpecies carbunculus, rubeolae, conſtituunt.

p. 240. Remittenti bilioſae inflammatoriae febri vteri inflammatio acceſſit, nec non febris bulloſa bilioſa inflammatoria. In flauae Americanae febris enarratione notisque plurima mutata ſunt. Febri remittenti bilioſae putridae inflammatoriae vteri inflammatio acceſſit.

p. 283. Maximum autem additamentum, idque admodum inſigne, operi acceſſit febrium enarratione, quae cum metaſtaſi lactis ad abdominis viſcera fiunt, morbum puerperis proprium conſtituentium. Characterem huius febris generalem conſtituunt ex Noſtri mente abſentia, vel diminutio, vel retroceſſio, vel deprauatio lactis mammarum, abdomen maxime tenſum, tactum non ferens, dolores vagi, lancinantes in tota abdominis regione, pulſus parvus, ſpaſmodicus, lochia puriformia, alba, raro foetida. Haec febris ab aliis omnibus, quae puerperas inuadere ſolent, probe diſtinguenda, congeſtionem, vel potius metaſtaticam lymphae et lactis coaceruationem pro cauſſa materiali habet, eaque metaſtaſis a ſpaſmo oritur. — Purulenta colluuies, quae poſt mortem in abdominis cauo reperitur, inflammationis productum ſane eſſe nequit, quoniam, partium inflammatione exigua exiſtente, puris copia inſignis, et vice verſa eſt, quoniam hae inflammationes ab humoris extrauaſati acredine ſaepius

oriun-

oriuntur, nec extra puerperium puriformis humorum haec collectio inflammationem inteſtinorum et omenti frequenter ſequitur. Caeterum nullum inflammationis veſtigium in cadaueribus deprehenditur, niſi ab ipſa colluuie in abdomine extrauaſata oborta ſit.

Hanc vero materiem, quam peritonei vaſa reddunt, lac vel lympham corruptam eſſe patet, quoniam morbus ſaepe immediate retrogreſſionem lactis e mammis ſequitur, lactis depoſitio in mammis, ineunte hoc morbo, locum non habet, lacteus humor, qui in mammis corruptus eſt, omnibus qualitatibus ei, qui in abdominali cauo profuſus eſt, eſt conſimilis, et lactis denique metaſtaſes ad alia loca lac in abdominis cauo etiam profundi poſſe probant.

Inſignis praeterea partium genitalium internarum cum mammis conſenſus ſatis docet, poſſe tales lactis aberrationes facile in abdomine, ob vterum accidere, et ſi etiam lactiformis humoris collectio talis in abdomine ſaepe fit, vbi nulla antea ſecretio lactis in mammis facta eſt, hoc tamen theoriae, quam Noſter profert, non aduerſum eſt. In abdominis enim cauum lympha congeritur, cui ad mammas acceſſus denegatus eſt.

Prima autem metaſtaſeos cauſſa inflammatio excluſiue eſſe nequit, quoniam morbus longiorem decurſum ſaepe obſeruat. Corporis autem conditio et cauſſarum ſatis probant, ſpaſmum eſſe, quod morbo anſam praebeat, morbumque in metaſtaſi lacteae aut lymphaticae materiae ſitum eſſe. Quae metaſtaſis ſi non adeſt, febris vtplurimum mitiorem et benigniorem decurſum ſeruat, nec periculum ſemper cum hac metaſtaſi iunctum portendit. — Notandum tandem eſt, hanc febrem rariſſime ſporadice occurrere, ſed fere ſemper epidemice ſaevire.

vire. Quando nempe febres bilioſae graſſantur, haec febris praecipue in puerperio timenda eſt, atque ſumma arte motus febriles omnes auertendi.— In medendi methodo id obſeruandum eſt, vt cauſa ſpaſmi ſoluatur et congeſta materies eliminetur, quod modo, quem natura maxime indicat, peragitur.

Species autem ſecundum cauſſarum differentias ſequentes Noſter obſeruauit:

p. 289. 1) *Febris puerperarum cum conſtitutione bilioſo-inflammatoria.* Signa colluuiei bilioſae in primis viis et lactis metaſtaſeos in ea adſunt, indolemque hanc habet, vt epidemice vtplurimum ſaeuiat. Curationem perfecte eandem, quam bilioſae, requirit, crebriorem tamen, reliquis medicamentis interponendum antiſpaſmodicorum vſum.

2) *Febris puerperarum ex animi pathemate.* Obſeruauit Noſter, febrem puerperarum ſaepius inde oriri et lactis deprauationem immediate terrorem ſequi.

3) *Ex refrigerio.* Accidit praeſertim nulla conſtitutione epidemica obtinente. Praeter memoratas ab occaſionalibus cauſſis pendentes plures huius febris dantur ſpecies.

4) *Ex inflammatione.* Si inflammatio inteſtinorum et vteri omnino cauſſae occaſionalis ſpeciem prae ſe fert, febris puerperarum nomine hi morbi inſigniendi ſunt, quando lymphae lactiferae congeſtionem ſimul contrahunt. Vidit Noſter laeſo vterino durante partu orificio veriſſimae lactiformis humoris copioſam extrauaſationem, cum omnibus puerperalis febris phaenomenis.

Patet ex his omnibus, ipecacuanhae radicem, ſpecificae medicinae inſtar commendatam a compluri-

pluribus, admodum conferre, dum lymphae et lactis congeſtio ab acris colluuiei circa praecordia haerentis irritatione pendet. Hoc praecipue de epidemica puerperarum febre valet, quae ſemper biliоſam indolem habet. Si autem in debili et irritabili neruoſo ſyſtemate cauſſa latet, omnes irritationes vitandae, morbus vero ſedantibus, emollientibus, temperantibus et blandis diaphoreticis medicinis proſequendus eſt.

Phthiſicae remittenti febri, illique, quae ab obſtructione viſcerum pendet, quaedam, ad notas diſtinctiuas pertinentia, acceſſere. Atactis acutis ex contagio febris neruoſa putrida ex GRANT p. 318.
V. Cl. obſeruationibus, atactae lentae complicationes cum ſcarlatina, pemphygo, dyſenteria acceſſere. In intermittentibus quaedam, ſed non multa, mutata ſunt.

Maximum autem augmentum ſimulque ornamentum liber accepit additamento addito, quo Illuſtris et in rebus ad medicinam pathologico-practicam apprime verſatus Auctor, ſyſtematis aegritudinum omnium naturalis ichnographiam exhibuit. Quales labores etſi viri complures in iisque in vniuerſa ſcientia medicinali verſatiſſimi iam cum plurima laude ſuſceperunt, non tamen ſupervacuus putandus is eſt, cuius epitomen Noſter exhibet, in diuidendis morbis et ſuo ordini adſcribendis verſatiſſimus. p. 357.

Syſtema autem hoc naturale morbos acutos et diuturnos complectitur, hoc modo, vt ordines ſummi, eorumque genera pertractentur, ſpecierum vero nulla mentio iniiciatur; mens enim eſt Illuſtri Auctori hoc ſyſtema naturale morborum fuſius et copioſius pertractandi, omnibus cuique generi propriis ſpeciebus, cum eſſentialibus notis ſimul expoſitis.

I. *Morbi*

I. *Morbi inflammatorii.* (Cauſſae magis exponuntur conſtitutioni inflammatoriae producendae ſaventes, quam eiusdem ſymptomata.)

*Genus primum.*

febris inflammatoria.

(Miaſma epidemicum, contagioſum, quod generatim nimis Ill. auctor poſuit, in his morbis certe non ſemper ſubeſt. Neque miaſmatis idea in inflammatoriis morbis ſatis clara. Aliud enim eſſe contagium per aëra ſparſum, aliud miaſma, pathologia ſatis declarat.)

*Genus ſecundum.*

Morbus inflammatorius chronicus.

*Species.*

Plures haemoptyſeos, incipientis phthiſeos, rheumatiſmi chronici et inflammationis partium externarum ſpecies.

II. *Morbi putridi.* Diſſolutio et corruptio partium vel ſolidarum, vel fluidarum. (Dubitare tamen licet, num natura hanc diſtinctionem obſeruet: quis enim putridum morbum ſine vtrarumque partium affectione ſibi cogitet?)

*Genus primum.*

febris putrida.

*Genus ſecundum.*

Gangraena.

*Genus tertium.*

Sphacelus.

(Num autem ſphacelus a gangraena tam diverſus, vt certum et a gangraena eſſentialiter, quoad naturam, diuerſum genus conſtituat? Ego vix putauerim, ſtatuentibus licet pathologiae ſcriptoribus paene omnibus.)

*Genus quartum.*

Necroſis.

*Genus quintum.*

Caries.

III. *Morbi*

III. *Morbi bilioſi.* Ordo I. *febres bilioſae.*

*Genus primum.*

febris bilioſa inflammatoria.

*Genus alterum.*

Febris bilioſa putrida.

Ordo II. Morbi bilioſi chronici.

IV. *Morbi pituitoſi.*

*Genus primum.*

Febris gaſtrica pituitoſa.

*Genus alterum.*

Morbus chronicus ex pituita.

V. *Morbi verminoſi.*

*Genus* I. lumbrici. *Genus* II. aſcarides et tricocephali. *Genus* III. taenia.

VI. *Morbi lactei.*

*Genus* I.

Febris puerperarum.

*Genus* II.

Febris exanthematica, miliaris potiſſimum.

*Genus* III.

Inflammatio pectoris.

*Genus* IV.

Morbi neruorum a lactis metaſtaſi.

*Genus* V.

Metaſtaſis lactis vel lymphae ad partes corporis externas.

VII. *Morbi neruoſi.*

*Ordo* I. febres acutae. *Ordo* II. morbi neruoſi chronici.

*Genus* I.

Morbi ex idioſyncraſia.

*Genus* II.

Morbi morales.

*Genus* III.

Malum hypochondriacum et hyſtericum.

VIII. *Morbi periodici.*
*Ordo* I. Febres intermittentes. *Ordo* II. Morbi chronici periodici.

IX. *Morbi emphractici.*
*Genus* I.
Obſtructio viſcerum.
*Genus* II.
Scirrhi.
*Genus* III.
Calculus veſiculae felleae et ductus choledochi.
*Genus* IV.
Calculus viarum vrinariarum.

X. *Morbi arthritici.* *Genus* I. arthritis partialis. *Genus* II. arthritis vniuerſalis. *Genus* III. arthritis anomala.

XI. *Morbi rhachitici.*
*Genus* I.
Rhachitis.
*Genus* II.
Paedarthrocace.
*Genus* III.
Caries vertebrarum.

XII. *Morbi ſcrofuloſi.*
*Genus* I.
Tumores ſcrofuloſi.
*Genus* II.
Herpes ſcrofuloſus.
*Genus* III.
Inflammationes ſcrofuloſae.
*Genus* IV.
Exulcerationes ſcrofuloſae.
*Genus* V.
Gonorrhoea maligna.

XIII. *Morbi cancroſi.*
*Genus* I.
Cancer ſcirrhoſus.
*Genus* II.
Cancer phagedaenicus.
XIV. *Morbi venerei.*
*Genus* I.
Morbi gonorrhoici.
*Genus* II.
Morbi ſchancroſi.
XV. *Morbi ſcabioſi.* (Huc omnes Ill. vir morbos diuturnos cum efflorescentiis cutaneis refert: at ſcabies ſingulare morbi genus conſtituit, propriumque, a miaſmate quippe peculiari pendens)
XVI. *Morbi ſcorbutici.*
*Genus* I. Scorbutus epidemicus. II. Sc. ſporadicus.
XVII. *Morbi venenoſi.*
*Genus* I.
Morbi a veneno acri.
*Genus* II.
Morbi a veneno narcotico.
*Genus* III.
Morbi a venenis adſtringentibus.
*Genus* IV.
Morbi a veneno externo.
XVIII. *Morbi organici.*

## XI.

D. IOHANN FRIEDRICH WEISSENBORN *von den Eitergeſchwüren der Leber, durch einen merkwürdigen Fall erläutert. Erfurt, bey Keyſer* 1786 *in* 8v. 3 *plagg.*

i. e.

De hepaticis abſceſſibus tractatio ſingulari caſu illuſtrata.

Non ſemper in generandis abſceſſibus et vlc
bus hepatis natura vnam eandemque via
git. Subinde paucis diebus, ſubinde pluribus
norum ſpatio generari ſolent. Vi adeo extern
pati illata vlcus poſt plurium demum annorum
tium natum eſt. Exempla proſtant abſceſſuum
iecinore XVIII. poſt laeſionem praegreſſam
natorum. In concaua hepatis ſuperficie vlcus
dem figens difficulter cognoſcitur, nec ſanatio
admittit. Pus cum interitu aegri tunc in abd
nis cauum profunditur, in colo inteſtino, cui
ceſſus praeter naturam adnatus eſt, effuſum,
ſalute aegri vtplurimum decedit, ſi pus etiam
tes admodum irritabiles et ad vitam neceſſ
tranſit.

Hepatis autem externam ſuperficiem occu
vlcus ſigna ſua habet, tumet videlicet exulcer
locus in dextro hypochondrio, non longe a c
ſpuriis ſuperioribus, qui locus vlceri ſedem
quentiſſimam praebet. Difficilius tumoris in
poſito latere naſcentis cauſſa cognoſcitur. Si ab
pate vitiato pendet, grande praeter naturam
viſcus ſemper ſupponit.

P. 5. Diuerſa hepatis ſtructura irritabilitasque ſ
abſceſſuum vlcerumque in hepate admodum diuer
variaque reddit. Si firmam et elaſticam ſtructu
habet, preſſioni vomicae natae minus cedet, ne
visque magis affectis tenſisque partibus intenſior d
lor ſuccedet, et v. v. Hinc etiam exulcerato ne
nore affecti aegri quidam de dolore, debilitate, f
bre, vigiliis intenſioribus vix conqueruntur, imp
mis ſi natura lente agit et ad vlcus generandu
multum temporis requirit. Ipſi adeo nerui ex a
fectionis conſuetudine quadam vix vehementer irri
tantur.

Si vero localis laeſio praeceſſit, iniuriam ſibi illatam nobiliſſimum hoc viſcus concitatis dolore, pulſu forti, duro, arida lingua, ſiti, vigiliis, virium lapſu, indicat. Maius periculum hanc exulcerationem adferre, ſi vicinae nobiliores partes in conſenſum mali ſimul trahuntur, facile perſpicitur.

Haec omnia morbi hiſtoria admodum notabili illuſtrantur, cuius epitome haec eſt: Vir XXXIX annos natus, ex hepate male affecto diu iam laborans Decembri menſe anni MDCCLXXXV. angina pituitoſa corripiebatur. Purgans draſticum medicus ei propinauit, quo effectum eſt, vt angina perfecte decederet, aeger vero ſtatim in ſiniſtro hypochondrio, ad ventriculi oram, dolore intenſo preſſorio et pungente corriperetur. Aluus pertinaciter obſtructa, purgante medicina data, aquoſa crebro demiſit, perſiſtentibus dictis ſymptomatibus et teneſmo accedente. Arnica aliaeque medicinae per trium hebdomadum ſpatium adhibitae doloris, auctı potius, leuamen non attulerunt.

Vocatus poſtea die 30 Decembr. Noſter pulſum paruum, durum, tenſum, celerem, os palli de flaueſcens, appetitum penitus deficientem inuenit. In loco, quem dolor occupabat, tumor circumſcriptus, ventriculi regionem, ad ſiniſtrum latus, occupans, pulſans manifeſte, et tam fortiter, vt oculis conſpici pulſus poſſent. Certae origines tumoris quidem erant, at natura, ſedes mali dubia. Refrigerantia, aluum cum minima irritatione ducentia in vſum vocata ſunt, quae inſigne leuamen, profligato praeſertim teneſmo, attulerunt. Sitis, vigiliae, febricula recurrens auctae, auctı etiam veſpertini, aegrum admodum exercentes ructus, tumorque auctus neque imminutus eſt. Cantharides tumori impoſiti leuamen attulerunt dolore tantopere minuto, vt attactum, rudiore etiam

manu, ferret. Exploratus exactius tumor ad dorsi ſpinam vſque deſcendit: de originibus ab angina materie delata in tumidum locum nullum dubium. Debilitate poſtea, animi deliquium referente, frigore extremorum, caet. accedentibus, aegroque in ſummum inde vitae periculum deducto, tenuis et in grumos coacti ſanguinis librae tres aluo redditae ſunt.

Vitrioli naphtha reſtitutis viribus, ſomnus placidus rediit. Altero die purulentus ichor deceſſit, tumoris tamen mole non minuta, aucta potius, cum tenſione et dolore.

Inciſus tandem tumor eſt non ſine metu aneryſmatis interni, ob pulſationem tam continuam intenſamque. Pus reddidit, vini fecem referens, copioſum, cum maximo aegroti leuamine. Non autem poſt inciſum tumorem die, dolore et debilitate confectus obiit.

p. 16. Inciſo poſt mortem vlcere detectum tandem et locum hepatis ſiniſtrum exeſum paene illi ſedem praebuiſſe, depulſo ex naturali ſuo ſitu ventriculo. Colon inteſtinum purulento ichore obſitum, callo-ſum, ſteatomatoſum. Sana caeterum omnia.

Epicriſis addita plurima notatu inprimis digna continet. Signa hepatis exulcerationi communia alias plura defuerunt, nocturni ſudores, ſpiritus olidus, amarus in ore ſapor. Impuritates in primis viis morbo origines dediſſe admodum credibile eſt. Ipſa enim pituitoſa angina vtplurimum ab humoribus in primis viis collectis pendet, omniaque, quae crebro per decurſum morbi aluo decedebant, pituitoſam naturam habuere. Natura in hac pituita ad colli glandulas deferenda occupata, purgante-que vehementer medicina turbata, pituitam in iecinore et colo inteſtino depoſuit. Draſtica medi-

cina

cina iterum data dolores, inflammationem vehementer auxit.

Vomitus talibus affectionibus alias communes admodum ventriculus loco suo pulsus forte praepediuit, illius vero locum ructus creberrimi vespertini, nulli praeternaturali in ore sapori adiuncti occuparunt.

Pulsatio tumoris continua vehemensque sat notabile etiam symptoma constituit. Ortum autem ea inde duxerat, quoniam, ventriculo in sinistrum latus a tumore depulso, descendens aorta subtus posita motum suum ventriculo et toti tumori impertiit.

Sudores nocturni, sueti alias a resorpto pure, nulli adfuere. Cutem aeger constanter aridam, ore tantum subinde frigide sudante, habuit. — Mortis caussa Nostro magis colo intestino, quam iecinori exulcerato, deberi videtur, ob peculiarem qua hoc intestinum gaudet, irritabilitatem et in inflammationem propensionem.

## XII.

De violae caninae in medicina vsu — pro gradu Doctoris publice disseret IOANNES HENRICUS ANDREAS NIEMEYER, Nordheimensis. Göttingae 1785.

Motus variis virtutibus medicinalibus, quae violis omnibus propriae sunt, vomitoriis, purgantibus, sanguinem corrigentibus, cutaneos morbos varios depellentibus, cordi robur conciliantibus et odorem grato, subinde autem periculoso imo lethifero modo ferientibus, cum canina viola a medicis vulgo neglecta contemtaque, cui medicorum paene nullus vires medicatas vel leuissimas

adſcripſit, Nobiliſſimus Auctor experimenta inſtituit.

Botanica plantae deſcriptione praemiſſa et cauſibus, in quibus radix in vſum vocata eſt, copioſe enarratis, concluſio demum, a §. XIX. ex omnibus eſt, radicem violae caninae vim emeticam exſerere haud aegre in hominibus, quos neque prouectior aetas, nec vitae genus, nec morbi praegreſſi, nec medicamenta, praeſertim fortiora emetica, minus in emeſin procliues reddiderunt. Ipſe Nob. Auctor experimenta ſua omnia in pauperibus inſtituit victu craſſo, admodum glutinoſo vtentibus, nulli regimini adſtringendis, (et copioſas admodum vomitum concitantium medicamentorum doſes requirentibus, quod in hominibus ex infima plebe Göttingenſi ſaepius experti ſumus) et tamen medicamentum raro ſine omni ſucceſſu datum eſt. Nec turbas iſtas moleſtorum ſymptomatum excitauit, quae probatiſſimorum emeticorum effectum ſaepiſſime comitantur, nec vllos noxios effectus edidit, dum etiam vomitum non concitauit, immo bonos laudabilesque, ſordibus e primis viis eductis, et viſceribus natiuo ſuo robore reſtituto. Laxans aeque blandum eſt, quam vomitorium, nec vnquam fere vomitum excitat, niſi aluo ſimul ducta. Subinde omnis effectus in ducenda aluo conſiſtit. Nec violenti aut dolentes alui deceſſus ſunt, ſed blandi, dolorum expertes. Sed, dum pituita in ventriculo indigeſta praeualet medicamentum quod eam incidat, prius dandum eſt, ipſaque violae radix in pulvere, ad drachmae pondus vſque, danda eſt, qua forma potentius agit.

Licet autem, ob tardiorem paulo effectum haec medicina in omnibus caſibus, vbi effectus cum celeritate quadam exſpectatur, dari nequeat, commode tamen dabitur in omnibus, quibus lentus ſtimulus

ulus sufficit, intensior nocet, mixta aut dubia uacuationis, inprimis quoad viam, per quam euatio instituenda sit, indicatione existente. Nec vnico vomitu radicis effectus subsistit, prout viri COSTE et WILLEMET obseruarunt, ipsaque medicamenti forma, quantitas, caet. multum ad augendum vel minuendum effectum facit. Respiciendum denique etiam ad ingerendi modum, nec non ad regimen et diaetam est.

## XIII.

Dissertationem inauguralem de febre gastrica putrida pro gradu Doctoris eruditorum examini submittit CAROLUS FRIDERICUS BORN, Brandenburgensis, in nosocomio pauperum Petropolitano medicinae et chirurgiae practicus. Göttingae 1784.

Notanda quaedam haec dissertatio continet, putridarum febrium causas et curationem in Russia expedientia. Endemiam in Russia hanc febrem coeli praesertim temperies reddit et tanta tempestatis inconstantia, vt vno eodemque die vestes aliquoties mutare necesse sit, excipientibus diem quam maxime calidum noctibus, verno praesertim et autumnali tempore, frigidissimis. Balnearia siue potius vaporaria calidissima, insueto aduenae nullo modo toleranda, ex quibus plebs Russica in frigidissimam aquam multamque niuem statim se confert, eandem febrem inducunt, grauiorem reddunt. — Qui gonorrhoea et fluore albo laborant, vtut inueteratis et virulentis, febre hac oborta statim a morbo suo liberantur, nunquam redeunte. Ipsa adeo luis venereae consummatae symptomata

pertinaciſſima ceſſere febri penitus, ita vt Noſter ſancte adſeueret, neminem ob recidiuam luem vt neream hac febre curatam in noſocomium redi quod vtique mirandum (nec credendum tam fac eſt), inprimis quum pertinax admodum impur in Ruſſia ſit, duplum temporis ſpatium ad curat nem et triplam medicamenti quantitatem req rens. — Frequens eſt morbi ad digitos articul rum translatio, qui ſphacelo correpti decidu febre penitus cedente. Male curatam aut neg ctam febrem hydrops ſaepiſſime excepit, euacua tibus vbique, multis etiam ſordium ſignis prae tibus, curandus.

In curationis praeceptis plura ſunt non quide inaudita, attamen commode et vtiliter dicta. Ve nam his febribus laborantibus incidendi regulae pra clare traditae ſunt, nec non exhibendarum me dicinarum, quae vomitum concitant. Summa eſt, dari debere emetica mobilibus ſordibus exiſtenti bus et ſurſum turgentibus: ipſe Noſter in grauiſſima ſymptomata incidit, data ei in initio febris vomitu concitante medicina, ſordibus parum praeparatis. Caetera medendi praecepta ſatis obuia notaque ſunt, deſiderandum tamen in tota curatione id eſt, quod Auctor ſolis paene euacuantibus et antiputredinoſis inſiſtat, nullo reſpectu eorum habito, quae natura in his morbis molitur.

## XIV.

IOSEPHI QUARIN, Sacr. caeſar. reg. apoſtol. maieſt. conſil. aulic. et archiatr. in noſocomio generali Vindob. directoris ſupremi, animadverſiones practicae in diuerſos morbos. Viennae, apud Rud. Gräffer 1786. in 8v. 338 pagg.

Promi-

Promiserat ante complures annos Cl. Auctor obseruationes quasdam in diuturnos morbos; aduersariis autem aut distractis, aut dilapsis, stare promissis, morbis praeterea implicitus, non potuit. Demandata autem ipsi nosocomii generalis Vindobonensis cura, ex re iuniorum et in arte minus exercitatorum fore arbitratus est, si, quae apud praestantissimos scriptores medicinales dispersa reperiuntur, congereret, eaque suis obseruationibus monitisque vel augeret, vel confirmaret, vel, propriis ductus obseruationibus, infirmaret. Quod hoc modo effecit perfecitque, vt non de chronicis solum, verum etiam de aliis morbis, qui occurrere quam frequentissime solent, ageret, multa tamen, quae ad theoriam spectant, omnino non attingeret, quoniam ea omnia fuse apud alios pertractata sunt. De caussis tamen morborum nonnunquam prolixe disseruit, maximam vero operam in experimentis posuit ad nouorum et nuper laudatorum medicamentorum vim aut demonstrandam, aut infirmandam.

Vt autem commentariorum nostrorum lectores aequi intelligant, quaenam in hoc libro contineantur, notatu dignissima tradere ex eo breuiter expedit.

*De apoplexia* primum agitur, in eoque primo capite plura exponuntur scitu admodum vtilia. Vidit Noster, plures maniacos hoc morbo interiisse. Quae nullis antegressis signis, veluti vertigine, grauedine, ingruit, periculi plurimum habet; indicat enim aut polypum internum, aut vasa scissa. Neminem vnquam vidit Noster, qui, si manum eidem capitis parti crebrius admoueret, mortem effugisset, mitioribus etiam caeteris symptomatibus omnibus. Sudorem etiam copiosum ac validum e toto corpore manantem vtplurimum lethalem vidit, vti et

febrem frigidae apoplexiae ſuperuenientem, quae peſſima eſt, ſi ſpiritum ſimul aeger aegrius ducit. Frigida fomenta, quibus praeclaram vim ad hunc morbum recentiores adſcripſere, Noſtro non probantur, ob coecitatem et immedicabiles neruorum reſolutiones poſt huius medicinae vſum ſubinde natas. Emeticorum vſus merito notatur; ii enim nocent, qui ob ſolum materiae bilioſae vomitum emetica propinant, quum a plethora caput turbans nauſea et vomitus aeque oriri poſſint. His tamen, qui ventriculo cibis onuſto admodum in apoplexiam incidunt, faucibus penna irritatis vomitum conciliare conuenit. Reliqua curatio apoplexiae ab eo non recedit, quam antiquiores medici praeceperunt, neque copioſa remediorum alcalinorum volatilium tantopere a compluribus medicis commendatorum mentio iniicitur. Ad paralyſin anthos herba et arnicae flores admodum laudantur, belladonnae autem ad eundem morbum, et ingenti quidem doſi, vſus ſuſpectus Noſtro eſt. Colocynthis hic praecipitur, qui viſcidi plurimum in corpore ſuo habent.

p. 19. De epilepſia cap. II. Morbi, viris prae feminis familiaris, cauſſae neque omnes, neque ita expoſitae ſunt, vt ex his ſignis cognoſci queant. Feminae duae in ipſo morbi inſultu periere: altera tophum, altera exoſtoſin in cranio ex venerea lue neglecta habuit. Quartana, haemorrhoidibus, diarrhoea, vlceribus, coeli mutatione, epilepſiam ſanatam Noſter nunquam vidit, a plethora autem pendentem in puellis circa pubertatis tempora ſolutam. Cum medicamentis, quibus ſpecificam ad epilepſiam vim auctores tribuere, plura experimenta in noſocomio inſtituta ſunt. Phoſphorus anceps remedium eſt, quernus viſcus lente exſiccatus aliquoties profuit, aurantiorum folia aegrum gra-

ruiſſimis paroxyſmis per diem ſaepe redeuntibus eratum, ſanarunt. Tauri inſpiſſata bile nonnulli epileptici palleſcentis et tumiduli habitus ſanati ſunt. Hyoſcyamus nihil profuit, ſtramonium autem inſecta mitigatione ſpem fefellit, re in perniciem poſt- conuerſa. Belladonna epilepſiam non ſanauit, aberrationem tamen mentis minuendo leuamen attulit. Cupri ſulphur nihil praeſtitit, moſcho mentis ſtupor minutus eſt, oleum animale Dippelii recenti malo a menſtruo fluxu intercepto orto obſtitit. Praeſtantiſſima autem medicina valerianae ſylueſtris radix eſt, eaque epilepticis ideo ſaepe nullam opem adfert, quod vel in victu, vel aliis rebus delinquant. Pueri adeo liberati a morbo penitus ſunt, medicina hac nutricibus largiter data. — Corpora, in quibus glutinoſum abundat, egregie purgantur, tinctura martis helleborata data. Talibus, ſi vermibus laborant, mercurialia dare non expedit: conſtat enim, lumbricos inteſtinales vix frequentius deprehendi, quam iis in locis, vbi argentum viuum e terra effoditur hominesque aërem mercurio inquinatum continuo hauriunt. Sabadillae ſemen ſaepius aegris datum vomitus intenſos concitauit nec peculiari vi vermes expellere viſum eſt. Tandem de balneorum frigidorum ad epilepſiam viu agitur.

*De tuſſi*, cap. III. Leuatur ex Noſtri ſententia, p. 33.
quam vero confirmatam non vidimus, tuſſis conuulſiua, ſanguinis profuſione accedente, quam ob cauſſam etiam venaeſectio praecipitur. Ceſſit feliciter tuſſis conuulſiuae curatio datis primum ſalinis medicinis cum manna et inuoluentibus ſyrupis, et purgata per aliquot dies aluo, taraxaci cum emollientibus decoctio. Oleoſa conueniunt ſicca tuſſi exiſtente, vrgente autem periculo Kermes minerale. Cortex Peruuianus ad vires inſtaurandas et mor-

morbi reditum cauendum praecipitur. Abſtinendum ab eo eſt aucta ſpiritus difficultate et pectoris oppreſſione. Caetera omnia, quae de aliis tuſſis ſpeciebus praecipiuntur, ſatis obuia ſunt.

p. 50. *De haemoptyſi*, cap. IV. Ea frequentior Viennae forte eſt ob adſcenſus praealtarum aedium difficiliores. Multum etiam ad eam creber mercurii vſus facit, inprimis ſublimati. — Nitri vſus in curatione morbi tantum conuenit, ſi fractae aegrotantium vires ſunt et ſanguis tenuis profunditur. Grauiorem haemoptyſin, in qua ſanguis valde aeſtuat, vitrioli ſpiritus dilutus depellit.

p. 68. *Phthiſis*, de qua capite V. agitur, omni contagio non vacat. Vidit Noſter aliquot mulieres diu noctuque cum phthiſicis maritis in conclaui verſantes, et eodem morbo demum ſuccumbentes, nec vllum vnquam vidit, qui, ſi calculos tuſſiendo eiciſſet, mortem effugerit. Grauidae etiam phthiſi adfectae ſaepe breui a partu tempore intereunt. Sputa quidam ſunt ſputa grauiſſima, omnino purulenta ac virideſcentia, exſcreantes, nullus autem morti ereptus eſt, dum ſputa copioſa, aquoſa et ſpumeſcentia, quibus purulentae velut inſulae innatabant, egerebat. — Venaeſectio ad curandum morbum tantum valet, ſi denſus ſanguis eſt et cum caeteris ſignis pulſus durus tangitur. Elixirio vitrioli Anglicani parum ſalutiferae virtutis ad hunc morbum tribuitur, praeter eum, qui poſt diuturnas febres natus eſt. Triginta abhinc annis acida, mineralia diacodio aut demulcentibus, ne tuſſim exaſperarent, mitigata, phthiſicis Noſter exhibuit, ſed nullo emolumento, immo potius hoc detrimento, vt ſputa odorem teterrimum vix tolerandum acquirerent. — Cucumeres, pepones, caet. morbo ingruente et febre praeualida exiſtente tantum valent, ſi vero humores cum corporis languore ſoluti

lati sunt, vix conueniunt. Fixus aër inspiratus, asphalti oleum, calcis aqua lacte temperata nihil leuaminis attulere: qui ab vltima medicina leuari visi sunt, postea de ciborum appetitu deleto, omnibus simul in peius ruentibus, conquesti sunt. Nec in fonticulis et setaceis plurimum praesidii ponitur. Polygalae amarae vsu phthisicus nullus adhuc restitutus est; cum successu tamen data est, vbi materies purulenta muco tenaciori iuncta excernebatur. Islandicum lichenem Noster maxime exhibuit, si aegri corticem non ferrent, nec cum cortex iuuaret, lichene abstinuit, coniunctis scilicet duabus medicinis efficacissimis. Cortex autem Peruuianus efficacissimus, contra mentem celeberrimorum in arte medica virorum, habetur, cuius insignem vim vsumque praestantissimum et plane singularem Noster experientia triginta annorum didicerit. Sed non ad eius vsum progrediendum est, nisi postquam inflammatorius status remiserit. Febrem inprimis cortex potenter debellat, variis, pro symptomatum accedentium varietate, medicinis adiungendus, non tamen balsamicis prius, quam febris penitus desierit; commendata enim a veteribus ad phthisin ideo fuisse videntur, quia iisdem ad putredinem a cadaueribus arcendam vtebantur. Balsamum de Mecca vere genuinum a comite DE SCHWACHHEIM, imperatoris ad Turcarum imperatorem legato, a quo id muneris loco acceperat, Nostro datum, maiorem vim salutiferam non habuit, quam illa, quae terebinthinae coctae, cui pars calefacientis virtutis coctione detrahitur, inest. Glandium quernarum tostarum decoctio nunquam profuit. Nec equitationem profuturam Noster admodum putat, quoniam augendo sanguinis motum, sanguinis per pulmones velociorem transitum concitat.

*De*

p. 105. *De aſthmate* cap. VI. agitur, quae vero ad pathologiam pertinent, exigui admodum momenti obuiaque ſunt. Nec quae de curatione proferuntur, valde bona ſunt, et falſa ſubinde. Sic dulcis marae ſtipites in infuſione tantum laudantur, quum ingrata palato, ob amaritiem, decoctio ſit, quod conſilium reprehendi debet, quoniam nuperorum obſeruationibus conſtat, medicinales virtutes dulcis marae profunde inſidere, nec aliter, quam protracta decoctione, facile extrahi. Ita etiam abſonum eſt, *pectori inimicam ipecacuanham dicere* eamque cauſſam, quod puluis illius in foeminis quibusdam ſpaſmodicum aſthma concitauerit; omnia enim medicamenta puluerulenta, pectori alias amiciſſima, irritando agunt cum ſpiritu in pulmones delata, vt notum omnibus eſt. Interne, minuta doſi data, in rebelli aſthmate aliquoties, verum non ſemper, profuit. Gibboſorum aſthma ſquillae extractum, Kermes minerali et ammoniaco gummi mixtum, potenter depulit et hydropis pectoris ſimul metum. Tabaci extractum nullam vnquam opem aſthmaticis attulit. Scrofulis et aſthmati ab eis pendenti ſpongia marina combuſta cum antimonio data maxime obfuit, verum ipſae ſcrofulae vix vlla ſanari medicina poſſunt, praecipue ſi lapideam duritiem tumores nacti ſunt. Eadem marina ſpongia cum elaeoſaccharo aniſi data ſtrumas potenter diſcuſſit, nec vnquam maciem induxit, tumoribus potius in corpore latentibus, quam medicinae, tribuendam. — Digitalis purpurea ab HELMONTIO iam ad ſcrofulas commendata aegris quibusdam ſcroſuloſis tumoribus adfectis in noſocomio data eſt, ad quorum morbum efficaciſſimae alias medicinae nihil valuerant. Succus expreſſus herbae cum extracto datus eſt, et efficaciſſimam medicina ſe praebuit, in primis in morbo poſt ſuppreſſam ſcabiem

nato.

nato. Molliti ſenſim tumores pus laudabile demiſerunt, poſtea vulnera coaluerunt. Alii a medicamento titillationem, doloris in adfecta parte ſenſum, febriculam alii experti ſunt, in iisque ab illius vſu Noſter deſtitit, non vero in iis, qui ab eodem medicamento nimia copia ingeſto capitis dolorem, oculorum caliginem, vertiginem, experti ſunt; hi enim, minuta medicinae doſi, perfecte ſanati ſunt. Bona et laudabilis ſemper poſt digitalem datam ſuppuratio fuit, ſcrofuloſis etiam tumoribus extractum cum emplaſtro de cicuta impoſitum vlcera, ſed tardius, ſanauit. Efficax etiam in hydropis ſpecie quadam digitalis purpurea fuit.

*Pectoris hydropem*, qui cap. VII. pertractatur, ſaepe tum ortum vidit Noſter, cum, haemorrhoidibus nimium fluentibus vena incideretur, aut datis ad menſtruum fluxum poſt ſuperatas acutas febres ob ſanguinis inopiam interceptum expediendum emmenagogis et venaeſectione ſimul adminiſtrata, aut denique copioſe datis *taraxaci, graminis decoctis, extractis*, medicamentis maxime ſoluentibus adannoſos tumores et ſcirrhoſas viſcerum indurationes ſanandas: facilius enim multo euenire putat, vt humores corporis noſtri nimium ſoluantur, quam vt inueteratae iſtae obſtructiones tollantur. Speciem autem ſingularem, (a medicis hactenus praeteruiſam, admodum tamen notabilem, quippe quae frequentius occurrit, nec a Noſtro bene et copioſe pertractatam) pectoris hydrops, frequentior morbus, quam vulgo creditur, habet, pulmonum hydropem, ſi aqua vel in pulmonum cellulis diffuſa eſt, vel ſacco, vomicis aut hydatidibus continetur. Signa latentis ſaepe morbi et cognitu iis temporibus, quibus a medicamentis auxilium exſpectare adhuc licet, difficillimi copioſe et vtiliter expoſita ſunt; pectoris autem concuſſio inſtitui raro

poteſt,

poteſt, cum minimus etiam motus aegris ſpiritum ſaepe praecludat, nec ſonus, ſi aqua in ſacco collecta eſt, percipiatur.

Curatu autem pectoris hydrops facilior eſt, qui pulmones occupat, inſanabilis vero ſaccatus eſt, vel a polypis aut aneuryſmate ortus: lethiferum etiam eſt, ſi hoc morbo adfecti vrinam copioſam naturali ſimilem aut pallidiorem emittunt: ſalutis autem ſpes adeſt, ſi parum profundius tincti lotii cernitur, diureticisque medicinis adhibitis lotium largius fluit.

p. 130. Ad curationem inefficax nicotianae extractum fuit, nec arnica vllum auxilium praeſtitit. Venaeſectio, pulſu etiam pleno et duro exiſtente, ſemper obfuit. Kermes minerale tam tuſſim quam ſpiritus anguſtiam auget. Purgantia, diuretica, opium mali plurimum, boni parum aut nihil attulerunt. Vnica in hydrope pectoris ad ſalutem hinc via eſt, vt vrina moueatur, ad eumque finem Noſter extractum ſcillae cum ſaccharo datum admodum commendat, quo vrina potenter pellitur et ſaliuae magna copia, velut a ſumto mercurio, ſed absque faucium laeſione, educitur. Scilliticum vinum effectum ſalutarem non edidit. Plurimi male inde adfecti ſunt, nonnulli perierunt, in iisque cadavera ventriculum cum inteſtinis inflammatum exhibuerunt. Aegris pulmonum hydrope laborantibus medicamentum ex diureticis et emollientibus compoſitum tanto cum ſucceſſu datum eſt, vt alter ingentem ſeri limpidi copiam eiiceret, ſanitate poſtea perfecte reſtituta, alter autem ſcalas aſcendere et ire absque moleſtia poſſet. Compluribus poſtea adiectis et ſatis copioſe enarratis morborum hiſtoriis probatur, ſcillae extractum vere principem et ſumme efficacem ad hanc hydropis ſpeciem medicinam eſſe.

*De aſcite*, cap. VIII. Cauſſae illius, ex Noſtri mente, ſunt plethora vaſis nimium reſiſtens, frigida aeſtuantibus viſceribus ingurgitata, tumores varii carnoſi, ſteatomatoſi, ſcirrhoſi, ſpirituoſorum abuſus, ſoluentia nimia in inueteratis obſtructionibus adhibita, animi aegritudo.

Circa purgantium, praeſertim draſticorum, vſum in hoc morbo plura commode praecipiuntur, felicius autem et efficacius aſcitem diureticis debellari obſeritur: haec enim morbum ſaepe ſanarunt, ad quem profligandum purgantes nobiliſſimas medicinas medici iam praeceperunt. Cantharidum vſus in aegros, qui glutinoſum corpus habent, reducitur; veſicatoria adeo ampla hydropico impoſita, concitata vrina, aegrum ſanarunt. Meloë proſcarabaeus Lin. in electuario cum roob ſambuci hydropicis datus aquas aliquoties, ſubinde effectu admodum citato, deduxit, in aliis autem non ſucceſſu ſolum medicina caruit, verum etiam parcam vrinae ſecretionem, ſitim, caet. induxit. — Millepedes commendari vix merentur, quum praeſtantioribus medicinis aliis medicinalis materies abundet. Scilla autem omnium efficaciſſima eſt. Oxymel ex ea paratum aegris ſtrictiore habitu praeditis, quorum pulſus celerior eſt, vinum laxis, pallidis, glutinoſis conuenit, raro tamen morbum ſcillae vinum depulit, minori doſi ingeſtum non ſatis efficax, maiori vomitum, tormina, inducens. Extracto maxima vis ineſt, quod tamen magna doſi dari non debet; vidit enim Noſter, dimidium ſcrupulum immanes abdominis dolores, et mortem ipſam ex gangraenoſa inteſtinorum inflammatione induxiſſe.

Colchici extractum quod, tamen ſcillae virtute ſua proxime accedit, ſaepius aſciticis, verum ſemper fruſtra, datum eſt. Gratiolae extractum vrinam potenter depulit, ſpirituoſum, ex foliis para-

tum, aluum magis duxit. Ireos noſtratis ſuccu aegris hoc euentu datus eſt, vt ardor, oeſophag ventriculi et inteſtinorum dolores, vomitus, fr quens deſidendi conatus absque notabili aluina pu gatione, febris, inflammatio, mors, ſequerent Aſarum fruſtra datum eſt, nec non lactucae vi ſae extractum, cui tamen pharmacopoei ſonch oleraceum ſaepe ſubſtituunt, et quod efficac ſuam a ſcillae extracto ipſi admixto vtplurimum bet. Tartari cremor cum ſexta vel ſeptima be cis parte remixtus mire in hydrope aſcite ab ſtructione viſcerum orto profuit, effectusque e a ſolo cremore tartari fruſtra exſpectatos. BACHE pilulae, quae aluum adſtringunt, ſemper nocue vbi febris, calor, ſiccitas adſunt et vrinae foete hinc in hydrope non vbique adhibendae: profue autem admodum maniacis, quorum complures p fecte adminiſtrata hac medicina ſanati ſunt. N hellebori nigri cum amaris medicamentis inf multum opis hydropicis attulit.

p. 193. *De vomitu cruento*, cap. IX. Pathologiam h ius morbi penitus ad noſtra vſque tempora n glecti, cui tamen praeclaram lucem adfudere C Viri KAEMPFIUS atque MARCARDUS, praetermi Noſter, qui, damno profecto eorum, quae in me dium proferuntur, parum ad curationem intereſſ exiſtimat origines illius enarrare. Verum ad cura tionem morbi conſilia leui quoque et fugiente vel vti calamo elaborata ſunt, vt vbique pateat Noſtrum aut morbum ignoraſſe, aut plura in eo notatu digniſſima non vidiſſe: omnia enim ad venaeſectio nem et ad adſtringentium et ſtypticorum vſum re deunt, quibus tamen in curatione inſultuum vir ſemper locus eſt. Quum ſcorbutici ſanguinem quandoque vomant, de ſcorbuto ad capitis finem quaedam proponuntur.

*De cholera* cap. X. Venaeſectionem in ea inuti- p. 204.
atque pernicioſam cenſet ob pulſum paruum
que inaequalem, et ſudores corporis frigidos: ſed
plethoricis adminiſtranda vtique eſt; ſanguine
mſſo, pulſus cum calore redit. Emetica recte
iciuntur. Caetera medicamenta inuoluentia, bili
uerſa aeſtuique ob vim et celeritatem morbi ſa-
tares vires exſerere vix queunt, hinc ſtatim ad
pium confugiendum eoque motus ſopiendi ſunt.
perato tandem morbo, ſi impurae ſordes aut alia
edicamentis corrigenda reſtant, aluus leniori me-
icina ducenda eſt.

*De dyſenteria* cap. XI. Raro penitus inflamma- p. 209.
ria eſt, tuncque dolor illi conſtans, fixus et vel
ardens adiungitur, nec a vomitum concitanti-
us medicinis auxilium exſpectandum eſt. A ſup-
reſſa perſpiratione orta purgantem medicinam non
ert, ſolis inuoluentibus, diaphoreticis curanda. In
putrida aut bilioſa dyſenteria emetica admodum
conueniunt, paregorica poſt vomitus, ad turbas
componendas data, exitioſa ſunt, quoniam ſordibus
iam praecludunt, febrem, putredinem, augent.
Poſtea purganda aluus, deinde lenientibus demul-
cenda eſt. Ex demulcentibus autem medicamen-
is ſalicaria eligenda eſt, quae nihil ſtyptici conti-
net, nec noxium effectum vllum, qui ex adſtringen-
tium vſu facile alias conſequitur, edit, phthiſicis
adeo in alui colliquatione diuturna admodum pro-
ficua. Paregorica demulcentibus iungenda ſunt,
ſi inflammatio et primarum viarum impuritas abeſt.
Adſtringentia proſunt, ſi his omnibus nihil profici-
tur. Arnicae radix in putridis febribus cortice Pe-
ruuiano *longe inferior* (?) dyſentericis data tormina
auxit. Colombo radici praeter adſtrictionem leuem
parum proficui ineſſe videtur; nec omnis periculi
vitrum antimonii ceratum expers eſt. Diuturna

dyſenteria neglectaque laborantes opio cum ip
cacuanha et adſtringentibus dato ſanati ſunt.

p. 237. *De ictero*, cap. XII. Nigrum icterum, ſol
alias lethiferum morbum, aegrum per compl
annos in vrbe ambulantem occupaſſe, Noſter
Omnis autem icterus vtplurimum in tympanit
aut in hydropem aſcitem abit, inprimis ſi al
vrinam aegri copioſe reddunt, et dextri hypoch
drii tumor medicamentis non leuatur. Si ſol
tes medicinae ad icterum curandum requir
ſaponariae decoctio omnibus praeferenda eſt:
quiritur autem in annoſa viſcerum labe diutur
admodum ſoluentium medicinarum vſus. Vi
reſtituit Noſter, tali curatione per biennium c
tinuata. Pertinaciſſimus, ad quem nulla me
menta valuere, icterus fructuum horaeorum
leuatus eſt. Belladonna in aliis morbis fruſtra
tata paucis ictericis profuit, plures autem nul
inde leuamen percepere. Ricini oleum ad icter
a quibusdam laudatum multisque colica pict
laborantibus datum maioris efficaciae non
quam amygdalarum oleum mannae iunctum:
vero oleum a mercatore allatum fuerat: Viado
nae ex ſeminibus preſſum ad cardialgiam et pe
nacem alui obſtructionem praeclare valuit. Ad
ſiculae felleae calculos Whyttii ſpecificum ex
there vitrioli et oleo ſtillatitio terebinthinae max
laudatur.

p. 257. *De haemorrhoidibus*, cap. XIII. Parum vide
Noſtro ad curationem conferre, vtrum haemo
rhoides ex ſyſtemate venae portarum, an e va
hypogaſtricis, an e venis aut arteriis fluant. N
quam autem haemorrhoides ſingulis menſibus, c
tameniorum more, fluentes vidit. Cauſſarum en
meratio admodum manca eſt, nec memorata a C
viris KAEMPFIO et MARKARDO cognita Noſtro e
vide

dentur in practicis recentiorum libris vix satis
rsato. Vindobonensibus haemorrhoides hodie
equentiores, etsi vino moderatius vtuntur, aro-
atum abusui, exercitio corporis neglecto, crebrae
rhedis vectioni adscribuntur. Plus nimio fluen-
bus haemorrhoidibus, millefolii decoctum, quod
um haemorrhoidali colica laborantibus apprime
nuenit, subuenit, vrgente autem sanguinis pro-
sione, adstringentia adhibenda sunt, in quibus mar-
s vitriolum caeteris omnibus praestantius est. Idem
haemorrhagia vteri laborantibus auxilio est. Ipe-
cuanhae autem radix parcis data dosibus quasdam
auit, in plurimis autem voto non respondit.
pium non conuenit (nec in vteri haemorrhagia a
ruorum strictura, cui alias semper auxilio est?)
d vesicam vrinariam lapsae haemorrhoides demul-
entibus curandae sunt: adstringentia imprudenter
ata inflammationem, suppurationem lethiferam
rcitarunt. Interceptas etiam ab haemorrhoidibus
rimae vias sola relaxantia expediunt.

*De arthritide*, cap. XIV. Differentia arthritidis p. 271.
rheumatismo haec statuitur, quod hic nec haere-
itarius sit, nec contagio contrahatur, nec omnem
membri, vel articuli mobilitatem tollat. In febri-
bus autem articulorum dolori adiunctis cauendum
est, ne statim pro arthriticis vel rheumaticis habean-
tur, quum hi dolores saepe ab impura primarum
iarum cruditate pendeant.

In non febrili arthritide chamaedryos infusio
uuit, quibusdam tamen ventriculum male adfecit.
Egregiam etiam opem aconiti extractum praestitit,
nec non sulphuris flores cum antimonio iuncti, bar-
danae decoctione superpota. Decocta etiam cum
antimonio parata praeclaros effectus edidere, in
viro, etiam qui ab arsenico sumto diriſſimos articu-
lorum cruciatus passus est. Mercurialia arthriticis

minus proſunt, neque iis, qui venerea lue adfect
ſunt. Hi floribus ſulphuris, antimonio et ſaſſap
rillae decoctione cum lacte curati ſunt. Exter
medicina ex ſapone, arnica et cicuta parata egr
gios in hoc morbo et pectoris inflammationib
effectus edidit. Moxa, ſi pars inflammata eſt, n
cet. Frigida balnea arthritidi auertendae vix id
nea ſunt.

p 287. *Podagra*, de qua cap. XV. agitur, a vino e
gines vix ducit: Auſtriaci enim ruſtici, abutentes
ſtero vino, hoc morbo vix corripiuntur. Verisi
lius eſt, dirum hunc morbum ab abundante vi
neglectis corporis exercitationibus, nimio vene
vſu et immoderata mentis agitatione naſci. Qua
in podagra multum praeſtat: experientia tam
edoctus Noſter didicit, gentianae radicem eade
praeſtare. Methodus autem, qua podagricos pe
plures annos aut ab inſultu morbi liberos ſeruau
aut eum admodum mitigauit, haec eſt: calidior
temperiei aegris verno et autumnali tempore pe
tres ſeptimanas roob ſambuci ad vnciam vnam ab
ramue cum ſulphuris floribus dedit, frigidiorib
vero ſulphuris flores cum antimonio, frigidiſſim
et glutinoſum corpus habentibus eadem medica
menta, reſina tamen guaiaci addita. Piſcium eſus
podagricos a morbo ſuo immunes non reddit: vi
dit enim Noſter plures Carthuſianos ſaeuiſſima po
dagra vexatos, quamquam ex ordinis inſtituto per
petuo carnibus abſtinerent.

p. 299. *De morbis venereis*, cap. XVI. Gonorrhoea, quo
propius veſicae collo reſidet, eo peior habenda eſt;
quae vero in proſtata ac cumprimis in ſeminalibus
veſiculis haeret, frequenter omnem curationem
reſpuit. Sanata a Noſtro gonorrhoea antiphlogi-
ſtica medendi methodo iam his temporibus eſt, qui-
bus Vindobonenſes longe alia vtebantur, nitrum
vero

vero ob irritationem ab eo inductam, caute adhibendum est. Grauissima a balsamicis mala nata sunt, inflammatoria irritatione praesente datis. Sola vrethrae exulceratio mercurialia interdum requirit, externe etiam, si rebellis morbus est, cum mucilaginosis adhibenda. Saturninae iniectiones in complurib. atrocissimos abdominis et articulorum cruciatus excitarunt, quos quum medici pro talibus haberent, qui ex venerea lue oborti essent, et ad eos debellandos mercurialia adhiberent, insanabiles neruorum aegritudines et corporis consumtio exortae sunt. — Quandoque gonorrhoea sicca est, in qua scilicet vrethrae parietes concrescere velut incipiunt, et dolor inter mingendum intolerabilis percipitur, qui vero expresso ex vrethra muco mitigatur, et emollientibus ac mucilaginosis iniectionibus sanatur.

Condylomata, quae potissimum in immundioribus spectantur, ablata, si crebro recrescant, tormentillae vel bistortae puluerem applicare conuenit, sabinae autem puluis iis insperſus vix memorabilis efficaciae est. Aduersus venerea faucium vlcera tenuem atque acrem ichorem fundentia, in cachecticis praesertim corporibus, puluis ex gratiolae extracto cum cancrorum lapidibus profuit, qui per salivam et vrinae vias inprimis egit. Cutanei venerei morbi, scabies herpesque pertinacissimus, scordii infuso saturato copiose sumto optime curantur. Saturnina medicamenta in quocumque externo venereo morbo non adhibenda sunt; penem enim cancro venereo affectum sensu atque erigendi potentia penitus priuarunt, symptomata alia complura pessimae indolis excitarunt. Ipsi venereo morbo curando frictio mercurialis, modica per eam salivatione excitata, maxime conuenit. Gummosum PLENCKII mercurium his dare expedit, qui frictio-

nibus vti nequeunt, ſed quandoque plus gum
Arabici, quam auctor praecepit, addendum e
Plures etiam lue laborantes ſaſſaparillae decocto
lacte ſanati ſunt, quod tamen melius ceſſit in
qui mercurio antea fuerant vſi. Idem medica
tum in tophis, ſcabie venerea, doloribus oſſa
cupantibus, opem maximam attulit, nec non
phthiſi et tabe venerea debellandis, in quibus
men minori quantitate hauriendum eſt.

p. 318. Pauci Noſtro noti ſunt, quibus mercurius ſub
limatus corroſiuus auxilio fuit. Pluribus nocu
membrorum contractionibus, neruorum inſanabi
bus morbis, haemoptyſi, lethali phthiſi excitatis
hinc etiam Noſtri conſilio ductuque in generali no
ſocomio illius vſus penitus exoleuit, periculoſior
adhuc, ſi in pilulis exhibetur. — Keyſerianae pi
lulae colicas grauiſſimas, hypercatharſes, et febres
lentas induxerunt.

Venereos morbos in Hungariae confinibus
mulieribus ope radicis aſtragali exſcapi ſanari wi
TERL, clariſſimus apud Budenſes medicus profe
ſor, ad STÖRKIUM perſcripſerat. STÖRKIUS ita
que a Noſtro petiit, vt huius medicamenti vſum
noſocomio tentaret, quod hoc modo factum eſt,
vt radicum dimidia vncia cum XV. aquae vnciis ad
libram remanentem decoqueretur, quae decocti
portio mane et veſperi ab aegris hoc ſucceſſu ſumta
eſt, vt, aluo a medicamento primum purgata, poſt
ea vero lotio et ſudore praeſertim nocturno concitatis, arthritici dolores breui fugarentur, tophi ve
ro exulcerati ſimplici medela externa quartae ab
aduentu aegrae ſeptimanae ſpatio curarentur, reli
qui euaneſcerent, et aegra incolumis e noſocomio
exiret.

Alia aegra eodem modo affecta eadem medicina
penitus ſanata eſt. Alia herpete, venereo vlcere

et rheumaticis doloribus laborans, depulso perfecte morbo, nosocomium reliquit. Sanitas etiam iuueni eodem medicamento restituta est bubonibus indurutis et admodum inaequalibus laboranti.

Experimentis in quatuor tantum aegris instituendis copia medicamenti suppetiit, hique omnes breui sanati sunt, aluo primum concitata, postea lotio et sudore potenter pulsis.

Finem operi vtilissimo, sed sine plurimo ordine conscripto, formulae medicamentorum imponunt.

## XV.

IO. FRID. BLUMENBACHII, medic. P. P. O. introductio in historiam medicinae litterariam. Göttingae, apud Dietrich, MDCCLXXXVI. in 8vo. 462 pagg.

Quoties de historia artis medicae literaria scholas doctissimus Auctor habuit, maxime molestum et importunum ipsi visum est, quod compendii defectu ad praelectiones academicas apti nomina auctorum et titulos librorum auditoribus in calamum dictare et filum orationis saepius praerumpere necesse fuerit. Cui incommodo hac introductione mederi studuit, ita tamen, vt et in vniversum synopsin quandam praecipuorum medicinae fatorum exhiberet, vtque liber etiam praecipua historiae medicae momenta contineret.

Ordo chronologicus, ceu maxime naturalis et tali tractationi apprime respondens, merito seruatus est: non autem seruiliter huic ordini Cl^mus Vir se adstrinxit, quum subinde aut eiusdem sectae viros, maxime si breuis aeui ea fuerit, iunctim exhibuerit, aut aliqua nomina, quae alias intacta relinquere

oportuiſſet, obiter, occaſione iubente, attigerit. A reſtauratione literarum in quaque periodo iterum ſecundum diſciplinae capita, quae praecipue ab vnoquoque tractata fuere, recenſus eorum factus eſt.

Propoſitum autem Cl^mo Viro fuit non, niſi meritiſſimos de artis incremento viros recipere, ſed quum ambiguum ſaepe de ſelectu iudicium ſit, difficilis ſaepe et ambiguus ſelectus fuit. Normam tamen in eo hanc ſeruauit, vt veteres medicos ad vnum omnes paene recenſeret, quoniam, etſi minime in eodem loco atque dignitate ſunt conſtituti, in vniuerſum tamen primi et principes in re medica auctores et quaſi eius fontes exiſtunt. Seuerior in Latino-barbaris iisque, qui reſtaurationem literarum proxime exceperunt, delectus fuit, paſſim tamen vnius alteriusue minus noti auctoris, praeſertim inter Germanos, memoria ſtudioſius excitata eſt, quoniam haec hiſtoriae medicae pars non vnam ob cauſſam omnium maxime neglecta et inculta iacet. Ex recentioribus plurimi citati ſunt, qui aut artem nouis inuentis locupletarunt, aut docendo, ſcribendo amplificandae illi occaſionem dederunt, aut reſtaurato veterum ſtudio medicinam ad antiquorum mentem reformarunt, a theoriarum ſordibus purgarunt. Hinc ſectarum et dogmatum praecipuorum auctores prae ceteris in medium prolati ſunt, inferioris doctrinae hominibus, HAUPTMANNO, WÜRDIGIO, aliis, exceptis.

Inuentores, aut vtili nouo inſtituto de re medica bene merentes, vbique laudati ſunt, etiamſi pauca ediderint, aut ignoti obierint, quales fuere IOACH. STRÜPPE, qui medicinae vtiliſſimam partem, politiam medicam, ex profeſſo primum tractauit et in libro Francof. 1573 edito: *nützliche Reformation zu guter Geſundheit und chriſtlicher Ordnung* ſapientia plurima conſilia de aëre puro ſervan-

rando, platearum munditie, ſepulturis a viuorum habitatione arcendis, de opificiorum generibus aërem inquinantibus, de obſtetricibus ordinandis, pharmacopoliis, noſocomiis viſitandis, inſtruendis, caet. literis prodidit, primum etiam de mumiis ſingularem librum conſcripſit, IO. REY, qui ex primis aëris factitii inuentoribus eſt, et SEBAST. ALBINUS, qui primus in libro: *Bericht und Handgriff, wie man mit Perſonen, ſo im Waſſer gelegen und für tod heraus gezogen worden, umgehen ſolle*, methodum aqua ſubmerſis ſubueniendi in vſum popularem Germanice prodidit. Tempora etiam ſemper ſtudioſe memorata ſunt, quibus vtilia inſtituta primum inuenta ſunt, aut in vſum venere, mortuorum exactae tabulae, ex quibus poſtea corollaria phyſiologica, pathologica, politica vtiliſſima deducta ſunt, conditarum academiarum ſcientiarum et artium celeberrimarum anni, tempora, quibus maxime inclaruere. Nec philoſophos praetermiſit, ROGERUM BACONEM, NICOLAUM REGIUM, CARTESIUM, LEIBNITZIUM, alios, qui aut nouis ſectis anſam dederunt, doctrinae forma mutata, aut inuentis nouis medicinam locupletarunt.

Viri etiam tales excitati ſunt, qui, licet artem nouis inuentis non auxerint, ſcholis tamen ſuae aetatis illuſtrandis inclaruerunt, ROLFINCCIUS, G. W. WEDELIUS, alii. Alias etiam memorabiles euentus Cl. Auctor non neglexit, qui rei medicae aut fatales valde, aut ſalutares fuerunt, nouorum morborum exortus, pharmacorum celebriorum inuentum, caet. aut qui, quamuis non proxime ad medicinam pertinere videntur, tamen ſummo eidem emolumento fuerunt, vt Indiae vtriusque inuentionem, inuentum artis icones lignis incidendi, caet.

Auctores noſtris temporibus in arte noſtra illuſtres Cl. vir ad annum MDCCLXXXV. recenſuit,

eos

eos ſcilicet, qui ad hunc vſque annum diem ſuum obierunt: viuorum enim delectum literis mandare nimis anceps negotium illi viſum eſt.

Haec paene ſunt omnia, quae in conſcribendo edendoque tali libro, qui inſignem ſine dubio tironibus et in arte ſua quoque verſatis, inprimis amplo librorum apparatu deſtitutis medicis vtilitatem pollicetur, Cl. Auctor ſibi propoſuit. Ipſum librum diligenter legentes atque retractantes laeti experti ſumus, promiſſis ſuis BLUMENBACHIUM noſtrum non ſtetiſſe ſolum, ſed ea etiam ſuperaſſe: omnia enim ſtudioſe vndique conquiſita, verum non tali modo ſunt, vt obuia de qualicunque Auctore quaeuis in aduerſaria haec literaria conicerentur, ſed eo potius, vt, ſelectu diligenti vbique habito, ſcitu tantum neceſſaria vtiliaque colligerentur, et collecta ſeruarentur.

Quum autem haec literariae medicae hiſtoriae elementa duabus partibus, inuicem quidem ſibi coniugio anguſtiſſimo iunctis, conſtent, hiſtoria ſcilicet fatorum ſcientiae medicae, et literarum medicarum hiſtoria, per ſingulas haſce partes tranſire expedit, vt lectores intelligant, quid praeſtiterit Noſter, et quaenam praeſtanda adhuc ipſi aliisue reſtent.

Hiſtoriam medicinae quod attinet, hiſtoriae literariae intertextam, notandum eſt, quod ad paginam vſque XXII. antiquitatis medicae hiſtoriam ſimul expoſuerit, hiſtoriam medicinae ſcilicet apud Aegyptios, orientis populos quosdam, et eorum temporum, quae ad fabuloſam et mythologicam Graecorum medicinam pertinent, his, quae ad numinum medicinalium Aegyptiorum et Graecorum cultum referenda ſunt, et quae nobis antiquitatibus medicis accenſenda magis eſſe videntur, literariae hiſtoriae crebro intermixtis. Quod quidem ab omnibus ita factum eſt, qui exponendae medicina-

lis

lis scientiae historiae operam dederunt, sed hoc euentu, vt medicinalium mythorum enarratione progressuum scientiae ipsius historia interciperetur et quasi praefocaretur. Etsi enim facile concedimus, esse in his fabulosis narrationibus plurimum, quod ad progressus medicinae in obscuris hisce temporibus cognoscendos inprimis faciat, hi tamen progressus, qui in ea praesertim medicinae parte, quae manu opem fert, insignes fuere, a Cl. Viro, nimio breuitatis studio sine dubio ducto, parum notati sunt, vt adeo omnia, quae ad HIPPOCRATIS vsque tempora proponuntur, EMPEDOCLIS, ALCMAEONIS, HERACLITI, DEMOCRITI, ACRONIS, HERODICI nominibus exceptis, fabularum medicinalium hisce narrationibus comprehendantur.

Notum quidem omnibus est, HIPPOCRATEM primum medicinam in scientiae formam exactius redegisse, sacrasque medicinales Asclepiadarum scholas omnibus, qui medicinae studio ducebantur, aperuisse, veram itaque medicinae historiam ab HIPPOCRATE, cuius monumenta nobis restant, incipere, omnia, quae ante haec tempora in re medica acta sunt, aut non certa penitus, saltim nondum curiose satis conquisita, aut fabulosa nimis esse, quam vt plurimam fidem mereantur. Quae quum ita sint, melius historiae suae *literariae*, quae principem operis partem efficit constituitque, consuluisset Noster, si, praetermissis omnibus, ad ea vsque tempora, quibus Hippocrates vixit, pertractatis, cum ipso statim HIPPOCRATE historiam suam incepisset, praemissa, quod opus fuisset, diligenti enarratione eorum, in quibus Graecorum medicina vniuersa constiterit temporibus, quibus HIPPOCRATES amplissimo suo ingenio scientiam tantopere auxit.

Quod

p. 23. Quod autem ad hos progreſſus pertinet, quibus medicina ab HIPPOCRATE magnifice dilatata eſt, hi omnes eo redeunt, vt Noſter eum omnes *medicae profeſſionis et methodi ſcientificae conditores* cenſeri debere arbitretur, quae certe non omnia, nec ex noſtra mente merita praecipua ſunt, quibus hic vir, quem nemo hactenus vel e longinquo est aſſequutus, de medica ſcientia meritus eſt. Caeterum quae ad librorum, praeſertim editionum, hiſtoriam pertinent, praeclare expoſita ſunt, niſi hoc aliquo modo reprehendas, quod proprium de genuinis aut ſpuriis operibus iudicium Cl. Vir non addiderit, ſed HALLERUM ſit ſecutus, cuius merita in hac ſcientiae medicae parte aequiparari his vix poſſunt, quibus in aliis medicinae partibus paene omnibus laudem maximam promeruit.

p. 34. Subiuncta eſt hiſtoriae literariae operum Hippocratis enarratio ſtudioſa collectionum medicorum veterum, chirurgorum, gynaeciorum et librorum eorum, qui de medicina veterinaria agunt.

p. 60. De GALENO idem paene, quod de HIPPOCRATE, Noſtro iudicium eſt. Vir ſummus et vnicus dicitur, cui, ſiue vaſti ingenii acumen, ſiue immenſum doctrinae ambitum ſpectes, vix alterum vniuerſae antiquitatis aequiparare liceat. — Polygraphus, qui nullam non medicinae partem ſcriptis ſuis auxerit, de vniuerſa arte optime meritus, XIV. ſequentium ſaeculorum idolum, et in omni re medica fons et norma. Tandem narratur, quod vena, quae ventriculo cerebri tertio incumbit, et torcular HEROPHILI intrat, nomen eius retinuerit. Notae p. 63. additum eſt, criticas curas, quas HIPPOCRATIS operibus adhibuit, ad maxime immortalia merita GALENI pertinere. Quae quidem omnia praeclare vereque dicta de ſummo viro ſunt, ſed nec per ſingulas medicinae partes merita, nec

pro-

progreſſus, quibus medicina ab hoc viro amplifi-
cata eſt, comprehendunt, adeoque *progreſſus ſcien-
tiae ipſius hiſtoriam*, quod tamen in animo Cl. Vir
habuit, vix illuſtrant. Caeteri alii Latini Graecique
medici optime enarrantur, nulla tamen meritorum
cenſura addita. Notatum tamen eſt, a ſeptimo
inde ſaeculo ferream barbariem indies magis magis-
que incaluiſſe, vniuerſamque medicinam incultam
et alto quaſi ſopore ſepultam iacuiſſe.

Ad Arabes qua ratione Graecorum et Romano- p. 86.
rum medicina peruenerit, et per vniuerſam Afri-
cam borealem et magnam Europae auſtralis partem
per eos fuerit propagata, breui exponitur. Hi ſine
dubio plurima ex Graecis fontibus hauſerunt, at
multum etiam ad materiam medicam et rem alimen-
tarium amplificandam contulerunt, imo in chemi-
cis et pharmaceuticis principes auctores exſtiterunt.
(Morbos etiam nouos deſcripſerunt, cutaneos prae-
ſertim complures, adeoque et ex hac parte patho-
logicam et practicam medicinam amplificarunt.)
Claſſici tantum ex vaſta eorum tribu nominantur,
IOANNES filius MESVES, IOANNES filius SERA-
PIONIS, RHAZES, HALY filius ABBAS, AVICENNA,
ALBUCASIS, AVENZOAR, AVERROES et MOSES
MAIMONIDES, Hebraeus, Arabibus merito ad-
iunctus.

Hos *Latino-barbari* ſequuntur, inprimis Salerni- p. 95.
tanae ſcholae breuis hiſtoria, nec non aliarum an-
tiquarum, Montispeſſulanae, Pariſinae, Bononien-
ſis. Scriptores autem ex his celeberrimos ſecun-
dum ſcientias medicas, in quibus eminuerunt, No-
ſter recenſuit. Anatomen antea ſopitam reſuſcitauit
FRIDERICUS II. Imperator, qui ipſe in opere ſuo
de arte venandi cum auibus obſeruationes accuratiſſi-
mas ad anatomen comparatam conſcripſit et huma-
norum cadauerum publicas in vſum medicorum diſ-

ſectio-

ſectiones et demonſtrationes inſtitui iuſſit, cui rei vtiliſſimo inſtituto mox ſe oppoſuit BONIFACIUS VIII. edicto anno 1300 dato, quo ſceletos excoqueri vetuit, quod MUNDINUM, principem horum temporum anatomicum, etiam deterruit, ne in hoc cranii accuratius inquireret. MUNDINI autem de rebus anatomicis fides tanta fuit, vt, quod cum eius ſcriptione eius in corporibus inciſis non conueniret, poſteri monſtrum dicerent.

p. 78. Sopitas autem muſas excitarunt ingenio et doctrina diuerſi admodum duo viri, alia quidem ratione excellentes, attamen quod reſtaurandis in Europae parte maxima literis anſam dederint, celeberrimi. AMURATES Turcarum Imperator, et LAURENTIUS IANSZON, vulgo COSTERUS alter, Theſſalonica expugnata, ex qua THEODORUS GAZA, doctiſſimus vir, in Italiam profugit, quem deinde Byzantino regno euerſo, plures ſequuti ſunt, deinde arte typographica caſu inuenta. Medicina praeſertim botanices et anatomes, incrementum auctum quoque mirifice eſt inuento artificio figuras ligno incidendi, quae primum occurrunt in libro *ortus ſanitatis, ſ. de herbis et plantis*, quem PETRUS SCHÖFFERUS Moguntiae ſine dubio impreſſit. Animalium icones Zoologico ſcapo exhibitae primas occurrunt, quantum videlicet Noſtro innotuit, in *dialogo creaturarum* ALEXANDRI ANGLICI, Goudae, 1480 impreſſo. Splanchnologicas figuras, et Hundtianis quidem 1501 Lipſiae editis praeſtantiores IO. DE KETHAM, verum tamen admodum rudes in faſciculo medicinae, Venet. 1500 fol. exhibuit.

Multis etiam incrementis medicina dilatata eſt. America detecta, quae exoticorum ſtudio, hiſtoriae naturali amplificandae, inprimis occaſionem dedit. Multis etiam nouorum morborum generibus patho-

logia

gia et practica medicina aucta est, scorbuto 1482. Germania primum viso, sudore Anglico, pechiis, (sine dubio, quod GRUNERUS, V. Cl. in praeclaro libro de morborum antiquitatibus protulit, antiquo morbo et Graecis iam noto) venerea lue, quae saltim anno 1493. insolita symptomatum vehementia erupit.

Anatomen restaurauit MARCUS ANTONIUS DE TORRE, primus princepsque tabularum anatomicarum ad ipsam naturam perfectarum auctor, qui infirmato studio, quo MUNDINUM sequuti sunt medici, ad GALENUM et naturam rediit, laborum socio adscito LEONHARDO DA VINCI, pictore celeberrimo, cuius rubrica delineatae et postea lineis stramento ductis distinctae tabulae in bibliotheca Magnae Britanniae regis seruantur. Floruere etiam saeculi XVI. prioribus temporibus summi Viri ANDR. VESALIUS, GABR. FALLOPIUS et BARTH. EUSTACHIUS. p. 117.

Botanici sequuntur. Primus icones stirpium curate ad naturam factas exhibuit OTHO BRUNFELS, vti etiam vniuersae botanices restauratio vnice Germanorum industriae debetur. Medicinales horti saeculi XVI. initiis primum coli coeperunt, et priuati quidem primum EUR. CORDI, CONR. GESNERI, postea academici, quorum primus extitit Patauii 1533. p. 126.

Primus res naturales studiose vndique congessit, primumque physiophylaceum condidit GEORGIUS AGRICOLA, sanioris insuper metallurgiae classicus auctor. — Eiusdem saeculi priori parte dimidia in Germania, vt videtur, primum institutum est, et medicamentis in pharmacopoliis diuendendis certa pretia auctoritate publica constituerentur. Prima tabula, qua medicamentis pretium constituitur, Lindauiensis est, anno 1538. edita.

p. 148. Sequuntur, PARACELSI hiſtoria literaria dat
ANT. BENIVENIUS, primus inſtituti hiſtorias mo
borum et obſeruationum ſingularium conſcribe
Auctor, HIER. BRUNSCHWYK, primus Germa
rum, qui chirurgicas inſtitutiones vernacula lin
conſcripſerunt, et reſtauratae artis obſtetriciae p
mus Auctor EUCHARIUS RÖSSLIN. Medicin
etiam forenſem Germani primum et maxime c
luerunt, (coluntque) cui, vt notum omnibus e
origines dedit celeberrima iſta conſtitutio crimi
lis Carolina.

Nouam et maxime memorabilem hiſtoriae n
turalis epocham CASPAR SCHWENKFELD con
tuit, qui patriae tantum naturales diuitias inqui
vit et omnium fauniſtarum et floriſtarum pare
merito dicendus eſt. Primus res naturales in Ga
lia collegit BERNARDUS PALISSY, figulus autod
dactus, qui iam anno 1575. praelectiones in hiſto
riam naturalem habuit.

p. 191. Non auſpicatum admodum medicinae saecu
lum XVII. fuit. Tricennale bellum Europae prin
cipes tantopere occupabat, vt naturae et medi
nae ſtudia vix adiuuare poſſent. Inſuper non nova
quidem, ſed cum medicina paene nata at exas
rata his temporibus calamitas medicinam pre
ſit, vanum ſcilicet hypotheſium ſtudium, apud
Carteſianos, Helmontianos, Syluianos admodum
conſpicuum, quod progreſſibus medicinae admo
dum obfuit. Ferebatur autem ardore viuido ad
obſeruationum ſtudium, idque omnibus tam medi
cis, quam naturam ſcrutantibus admodum com
mendabat FRANC. BACO DE VERULAMIO, inu
luit etiam Zootomiae et viuiſectionum ſtudium,
quo denique factum eſt, vt vera ſolidaque phyſiolo
giae fundamenta ponerentur.

Nouae

Nouae ſectae a FRANCISCO DE LE BOE SYLVIO conditae dogmata praecipua, quod in prioribus et inter celeberrimis non conſueuerat Cl. Vir, enarrantur, neque merita viri, qui pathologicae et practicae medicinae tantam perniciem induxit, praetermittuntur, ſcilicet quod noſocomia in ſtudioſorum vſum primum inſtruxerit, anatomen, chemiam pharmaceuticam pluribus inuentis locupletauerit.

Vltimo ſaeculi XVII. dimidio vniuerſa medicina, p. 244.
inuentis microſcopiis et anatomicis iniectionibus admodum dilatata eſt. Conſpicillis quidem et microſcopiis iam vſi ſunt HARVAEUS et CAESIUS, ſumma tamen eorum dignitas demum emicuit MALPIGHII et SWAMMERDAMII laboribus. Iniectionibus ceraceis (aqua enim et colorati liquores venis iam antea infuſi ſunt) IO. VAN HORNE primus vſus eſſe videtur, inuento poſtea SWAMMERDAMIO communicato. Batauis autem potiſſimum debetur, quod hoc inuentum ſtatim ad perfectionis miram gradum euexerint.

Dephlogiſticatus aër IO. MAYOV ſpiritus nitri aëri nomine iam notus erat. — Inſignia iisdem temporibus incrementa medicinalis materies cepit cortice Peruuiano, et alimentaris, thea et caffea detectis, quae alios morbos rariores, alios frequentiores fecerunt. — Primus myſticam e chemia nubem feliciter depulit ROB. BOYLE. Breuiter etiam hiſtoria transfuſionis ſanguinis perſcripta eſt.

Haec vero eum in finem ex ipſo hoc doctiſſimo libro tradita ſunt, vt, praelibatione velut quadam, lectores iuſtam ſibi de his ideam formare poſſint, quae doctiſſime et copioſiſſime exponuntur. Caeterum quoad formam et tractandi modum HALLERUM ſequutus Cl. auctor eſt, cuius ampliſſimis inſtructiſſimisque bibliothecis frequenter vſus eſt.

XVI.

IOHANN FRIEDRICH ZÜCKERTS *medicinisches Tisch-buch, oder Cur und Praeseruation der Krankheiten durch diaetetische Mittel. Dritte vermehrte Auflage. Berlin, bey Mylius. 178[illegible] in 8vo. 376 pagg.*

i. e.

Commensale medicum, siue de morbis per diaetetica medicamenta curandis et auertendis. Editio tertia, auctior.

Nouam editionem operis praeclari prodiisse satis est indicasse. Nouiter pauca admodum accesserè, licet titulus praefatioque plurima accessisse perhibeant.

XVII.

Nouveaux Mémoires de l'Académie royale des sciences et belles lettres a. MDCCLXXXIII. avec l'Histoire pour la même année. à Berlin imprimé chez G. I. Decker 1785, 80 et 546 pagg. 4.

i. e.

Noua Acta Academiae regiae Berolinensis a. 1783.

p. 40. Ex historia pauca commemorabimus, quae ad rem medicam physicamque spectant. Recensentur SAMOILOWITZII Commentationes de peste, eiusque medela; inserta etiam est epistola Cel. COUR-
p. 47. DE GEBELIN Philosophi Galli, qui, cum hepatis morbo pedumque tumore laboraret, insigne leuamen a magnetismo animali percepisse sibi visus est, ideo-

que

que MESMERUM immodice laudat. Nihilosecius tamen credulus ille magnetismi admirator, morbo, qui steterat tantum, recrudescente, in ipsis praestigiatoris amplexibus ante hos tres annos fato succubuit. — Cl. ACHARD sal quoddam ex vrina bubula paratum, et a BECKERO Pharmacopoeo Magdeburgensi ad Academiam regiam missum, studiose examinando, nullum acidum nitrosum, quod inesse BECKERUS existimauerat, inuenire in illo potuit, certe exiguam tantum huius acidi portionem, eamque casu fortuito et ex aëre, non vero in ipsis animalis humoribus natam esse declarauit. — MARGGRAFII et UNDENII memoriam in consessu academiae solemni oratione commendauit Cl. FORMEY. p. 50. p. 63.

Ex actis Academiae, more consueto, ea tantum lectoribus nostris proponemus, quorum argumenta ex arte medica et scientia naturae petita sunt.

ACHARD *de aëris ortu ex fluidis vaporum forma per tubos ignitos transmissis.* p. 1.

EIUSD. *Experimenta, eo consilio instituta, vt conditiones, sub quibus aqua vel fluida vel in vapores reducta, ignitorum corporum auxilio in aërem mutari possit, declarentur.* Contenderunt nuper CAVENDISHIUS et LAVOISIERIUS, aquam aëris inflammabilis et dephlogisticati sobolem esse, ita vt sub deflagratione vtriusque produci, iterumque ignis adminiculo destrui et aëris naturam adipisci possit. Experimenta, quibus ducti celeberrimi illi viri hoc statuerunt, noster, noster, experimentis ipse fultus, parum fida esse demonstrat. p. 49.

EIUSDEM *Dissertationes duae de mutationibus, quas subeunt terrae calcesque metallicae cum sale lixiuo vegetabili fusae.* Prima Dissertatio continet experimenta cum terra aluminis (siue argilla pura) calcarea, magnesiaca, et volatili fluoris mineralis in- p. 15.

ſtituta. Altera experimenta cum calcibus [illegible] rum inſtituta exponit.

p. 70. COTHENIVS *Commentatio de diſcrimine, quod ſ[illegible] ticem peruuianum rubrum et communem inter[illegible]* Exhibetur ab initio ſuccincta vtriusque cortic[illegible] ſtoria, deinde experimenta ab auctore inſtitu[illegible] enarrantur, quibus apparuit, corticem rubr[illegible] communi ponderoſiorem eſſe, extracti tam gu[illegible] moſi, quam reſinoſi, maiorem copiam praebere, ſa[illegible] magis abundare, ſed ſalis lixiui copia a comm[illegible] cortice ſuperari. Corticem rubrum ab ipſo arb[illegible] ris trunco arborumque vetuſtiorum ramis ma[illegible] bus, communem autem a ramis iunioribus dege[illegible] bi auctor exiſtimat.

p. 84. ACHARD *experimenta, quibus declaratur* 1) *m[illegible] dus et ratio qua aer in fluida agit, ſi pondere ſuo horu[illegible] calorem ſub ebullitione intendit*; 2) *cauſa, cur corpor[illegible] varia, pari aeſtus gradu calentia, modo citius, mod[illegible] tardius in variis aëris generibus refrigeſcant.* Calo[illegible] ris augmentum ſub ebullitione non ſoli ponderi, ſed potius elaſticitati fluidorum prementium reſpon[illegible] det. — In aëre fixo corpora calefacta citiſſime, tar[illegible] dius in aëre communi, phlogiſtico et dephlogiſti[illegible] cato, tardiſſime in aëre inflammabili refrigerantur.

p. 98. EIUSDEM *Experimenta cum ligno carioſo phoſ[illegible] phoreſcente inſtituta.* Apparuit per haec experimenta, ligni putridi fulgorem in ſpatio vacuo et ſub aqua conſtantem eſſe, in aëre dephlogiſticato non intendi, exſtingui autem ab aëre fixo, nitroſo et ab omnibus fluidis, quae putredini ſolent reſiſtere: electricae materiae progeniem non eſſe, per corpora diaphana colorata non penetrare, et priſmate vitreo non ita, vt ſoiet lux ſolaris, diuerſicolorum radiorum ſpecie findi poſſe.

p. 107. GERHARD *de noua quadam lapidis flexilis et elaſtici ſpecie.* Lapis iſte ſchiſtoſus eſt, ex lacteo co[illegible] lore

lore flauescens, particulis constans micaceis, quarzosis, pellucidis, laxo modo inter se cohaerentibus. Ad chalybem allisus, scintillas edit, quaqua versus flexilis est, et concussus tremulo motu agitatur. De loco natali parum certi constat. Pondus proprium ad aquae pondus se habet, vt 3,750 ad 1,000. Chemica analysis docet, centum huius lapidis partibus inesse ferri 1, terrae calcareae 2, argillae 3, siliceae terrae 92 partes. Flexilitas micaceae structurae tribuenda esse videtur.

EIUSDEM *dissertatio de noua vitrum conflandi methodo.* Auctor ex spati scintillantis partibus quatuor et lapidis calcarei s. cretae partibus tribus vitrum parauit pulcherrimum, quod communi praeferendum esse censet. Potest enim cum minori temporis, operarum et ignis dispendio, absque vlla aënerum clauellatorum additione conflari. Accedit quod et durius sit, et aëris vicissitudines, salua pelluciditate, facilius ferat. p. 113.

Commentationum mathematicarum titulos tantum indicabimus.

BEGUELIN *observationes meteorologicae Berolini institutae a.* 1783. p. 125.
EIUSDEM *Dissertatio de barometricarum observationum certitudine et auctoritate.* p. 148.
DE LA GRANGE *Theoria variationum periodicarum, quibus motus planetarum obnoxius est.* p. 161.
EIUSDEM *Commentatio de corrigenda methodo vulgari approximationis, quae ad integrandas aequationes motus planetarum adhiberi solet.* p. 224.
DE CASTILLON *de regula Cardani et aequationibus cubicis.* p. 244.
LAMBERT *de quadrato celeritatis dynamico.* p. 266.
DE LA GRANGE *Methodus singularis approximationis et interpolationis.* p. 279.
EIUSDEM *Observationes de noua quadam proprietate centri grauitatis.* p. 290.
EIUSDEM *Commentatio IIItia de orbitis Cometarum determinandis.* p. 296.
SCHULZE *Com-*

*putatio virium, quas homines et equi mouendis molibus impendunt.*

Reliqua, quae ad Philoſophiam theoreticam vtilesque elegantiores ſpectant, hoc loco, cum ſint ab inſtituto noſtro aliena, omittimus.

## XVIII.

*Grundſätze der allgemeinen Semiotik und Therapie. Ein Lehrbuch von D.* IOHANN DANIEL METZGER, *Hofrath und d. A. W. Ord. Profeſſor. Königsberg in Preuſſen bey Gottlieb Leberecht Hartung* 1785. 8. 146 *Seiten.*

i. e.

Principia ſemiotices et therapiae generalis. Liber compendiarius, conſcriptus a D. IOANNE DANIEL METZGER, Conſiliario et Prof. Med. Ord. Regiomonti apud Theophil. Leberecht Hartung 1785. 8. 146 pagg.

Nec inutilem, nec ſuperuacuam putamus hanc Cl. METZGERI opellam, cum multum adhuc ſuperſit in nobiliſſima noſtrae artis parte, ſemiotice, faciendum, neque deſint tyrones, qui velint omnia praecepta paucis plagulis comprehenſa. His ſcriptae ſunt hae primae lineae, vt in *praefatione* ad Cl. Ienenſium profeſſorem GRUNERUM, inter ſemiologicos huius ſeculi ſcriptores haud vltimum, candide profeſſus eſt Noſter, a noua Stahlianorum ſecta perquam alienus. Complexus eſt ergo *ſemioticen* et *therapiam generalem* paucis praeceptis; ſed ea quidem breuiter et perſpicue expreſſit. Largior fuit in priori, breuior in poſteriori parte. Illam incluſit *nouem capitibus*, quae paucis repetere lubitum eſt.

Prae-

Praenia *introductione*, in qua de virtutibus me- p. 1.
dici differitur, explicaturque notio *ſemiotices* per
*artem recte videndi et recte concludendi*, contra vero
*therapiae* per *artem, aegrum ſecundum rectas conclu-*
*ſiones tractandi*, tranſitus fit ad ipſam *Semioticen*, p. 3.
quam praecedunt nomina quaedam generalia, ſine
quibus poſthaec multa obſcura forent. Sequuntur
1. *Habitus corporis externi mutatus.* Inſunt p. 7.
*ſigna faciei, corporis vniuerſi, coloris, caloris, ſitus*
*et mores aegri*, vbique quidem bene explicata.
2. *Actiones vitales.* Continentur *pulſus cordis*, p. 15.
*i. e. palpitatio, et arteriarum*, ex his vero potiora
vſuque confirmata genera, ceteris reiectis, item
ſpiratio, et, quantum per breuitatem licuit, ſa-
tis apte.
3. *Actiones animales.* Recenſentur ſigna, quae p. 30.
ſunt a *motu muſculorum aucto et imminuto*, a *ſen-*
*ſibus* generatim, i. e. *dolore, pruritu, anxietate*,
ſpeciatim vero a ſic dictis *ſenſibus externis* et *in-*
*ternis*.
4. *Actiones naturales.* Narrantur hic notae ex p. 48.
*lingua, appetitu, fame, ſiti, vomitu, nauſea, man-*
*ducatione, deglutitione, cardialgia, ructu, flatu, ob-*
*ſtructione alui et diarrhoea, teneſmo, vrinae vitiis et*
*ſudore*, ſed vt videtur, iuſto breuius, ac materiae di-
gnitas deſiderat.
5. *Actiones ſexus.* Explicantur primum ea p. 60.
mala, quae virorum, deinde quae mulierum in-
ſtrumenta moleſtant, et quid quaeque indicent, ſu-
peradditur.
6. *Excretiones.* Huc referuntur et *ſymptoma-* p. 67.
*ticae*, et *criticae*, et nominatim memorantur *hae-* p. 69.
*morrhagiae, ſanguis e vena miſſus, ſudor, ſaliuae* p. 73.
*fluor, ſputum, vrina, vomitus* et *aluus*, addendo
potiora momenta et ſigna.

p. 97. 7. *De coctione, criſi et diebus criticis.* Beneſtat Gl. METZGER ab partibus eorum, qui hanc veterem doctrinam ratam firmamque etiamnum voluerunt, negatque nouam hypotheſin de neruorum irritatione, non humore, vt cauſſam. Praeterea repetit dies criticos a niſu corporis ad motus periodicos.

p. 104. 8. *De malignitate morborum.* Subdubitat Noſter in tanto auctorum lubrico de malignitatis exſtentia, neque tamen negat omnino, praeſertim in febribus intermittentibus et epidemicis.

p. 106. 9. *Signa mortis.* Ponit Noſter mortem in perfecta animalis caloris et irritabilitatis exſtinctione, variasque eius diuiſiones in *naturalem*, *violentam* et *morboſam* more Cl. GRUNERI ſequitur, ſigna vero mortis eſſe ſtatuit vel mortis vere factae, vel mortis, qua quis obierit. Sed hic nobis iuſto breuior fuiſſe videtur.

p. 108. Iam ſequitur *Therapia*, eamque ita deſcribit, vt contineatur

p. 109. 1. *Doctrina de viribus naturae medicis.* Docet Noſter exemplis, quantum illae conferant ad ſalubrem medicationem, negat atoniam et irritamentum neruoſum, tanquam febris cauſſam proximam, eamque febrem ait ſua natura eſſe vnam, ſed varie modificatam demum efficere formas.

p. 115. 2. *Doctrina de viribus medicamentorum.* Explicat Noſter, quae et quatenus nominanda ſint medicamenta, repetitque vires non ab vi quadam phyſica, grauitate ſpecifica, vel ſolutione ac mixtione chemica, ſed magis a virtute quadam inſita et reactione virium corporis. Reprobat etiam infuſorum in vaſa medicamentorum vim, reprobat nuperam propoſitionem, qua remedia quaeuis nervoſa eſſe dicuntur, et methodum tractandi patho-

logi-

logicam ceteris anteferendam censet. His subdit quaedam *de venenis*. p. 126.

3. *De indicationibus*. Explicantur termini technici, quos schola introduxit. p. 130.

4. *Aetiologica classificatio morborum*. Est quaedam morborum in classes diuisio, ideoque sunt *inflammatorii*, *putridi*, *bilioſi* et *pituitoſi*, quibus coronidis loco adiecti sunt vermes, obstructiones, metastases lactis, morbi neruorum, arthritici et rheumatici, orti a miasmate specifico, i. e. febriles et non febriles. p. 132.

## XIX.

BENIAMIN FAWCETT *über Melankolie, ihre Beſchaffenheit, Urſachen und Heilung, vornämlich über die ſo genannte religiöſe Melankolie. Aus dem Engliſchen überſetzt von* IOACHIM FRIEDERICH LEHZEN, *Paſtor an der Marktkirche in Hannover. Leipzig bey Weidmanns Erben und Reich* 1785. 8. 158 *Seiten.*

i. e.

BENIAMIN FAWCETT de melancholia, eius natura, cauſſis et curatione, praeſertim de melancholia ſic dicta religioſa *), ex Angl. vertit IOACHIM FRIDERICUS LEHZEN, Praeco verbi div. apud Hannoueranos. Lipſiae apud Weidmanni heredes et Reichium 1785. 8. 158 pagg.

Inter varias melancholiae formas vna eſt, quae ceteris et grauior, et inſanabilior putatur, *religioſa*

*) Obſervations on the nature, cauſes and cure of Melancholy, eſpecially of that, which is commonly called religious Melancholy, Schrewsbury 1780.

*ſa melancholia.* Quae cum omnis idealis ſit, et contemplatione rerum ſacrarum conſtet, parum eſt, quod medici ad tollendam vanam mentis aegritudinem conferre poſſint; plurimum enim ad miniſtros eccleſiae pertinet et haud vltima medicina eſt probabilis quaedam perſuaſio. His ergo ſcriptum libellum cenſemus, vt, quomodo hortando, monendo, ſolando debeant occurrere, bene perſpiciant.

Abſoluitur *ſeptem capitibus*, inque his potiora melancholiae momenta ſcribuntur ante, quam ad ſingularem ſpeciem tranſitur.

p. 1. *Cap.* 1. *Symptomata melancholiae.* Recenſet ex medicorum ſcriptis ſymptomata melancholiae, inque his ſignum pathognomonicum, *timorem et triſtitiam*, gradus vero facit *abiectionem mentis, anxietatem* et *deſperationem*, et quomodo ſe quaeque prodat, curate docet. Sed haec aegritudo magis moleſta, quam periculoſa eſt, et potiſſimam originem a corpore ducit.

p. 17. *Cap.* 2. *Cauſſae melancholiae generatim.* Statuit Noſter, cauſſam primam eſſe quandam corporis diſpoſitionem, quoad ſtructuram et habitum partium, cauſſas vero reliquas cogitationem nimiam, motus animi, vehementem ex iactura ſenſum, curam et anxietatem, timorem, litterarum ſtudia, phantaſiae ludibria, et deſidiam.

p. 24. *Cap.* 3. *Curatio melancholiae.* Repetita eſt breviter ex *Whyttio*, *Tiſſoto* et *Baxtero*. Suadet vero Noſter frictionem, laborem et exercitationem corporis, auocationem a phantaſia, iter, exempla et id genus alia.

p. 40. *Cap.* 4. *Cur melancholia interdum dicatur religioſa.* Hanc adeſſe profitetur, ſi res, circa quam verſatur mentis cogitatio, eſt religio, animus vel aeter-

aeternitas, eamque tripliciter diuidendam putat, vsu experientia pastorali.

*Cap. 5. Symptomata melancholiae religiosae.* Supponit Noster communia melancholiae symptomata, et ad hanc speciem veluti transfert, memorando modum, quomodo aeger animi sensa exprimat. p. 49.

*Cap. 6. Causae melancholiae religiosae.* Et hic transfert ea, quae cap. 2. memorauit, speciatim vero nominat subitam vel longam passionem, perversam cogitationem, peccatum commissum, ritus sacri obseruationem, v. c. ieiunium rel. p. 58.

*Cap. 7. Curatio melancholiae religiosae.* Hanc perarduam et nullam sine Dei adiumento putat, scribitque regulas *sect.* 1. iis, qui nunquam serio de religione cogitarunt, *sect.* 2. iis, qui ante morbum religioni studuerunt, et *sect.* 3. quasdam et aegris, et conualescentibus aptas. Sed illae quidem ita comparatae sunt, vt magis ad theologum, quam medicum, pertinere videantur. p. 71. p. 79. p. 88. p. 142.

## XX.

## Noua physico-medica.

Academia Lugdunensis scientiarum, litterarum elegantiorum ac artium in conuentu publico d. 29 Aug. 1786. praemia distribuit solutionem quaestionis ex historia naturali concernentia: *Quaenam lichenum species habere possunt in medicina et artibus vsum?* Inter commentationes Academiae traditas primarium praemium decretum est Cl. GE. FR. HOFFMANNO, Medicinae Doctori Erlangensi, qui enumeratione lichenum, et historia salicum conscripta aliisque libris celebritatem nominis est consequutus. Secundario praemio ornatus est Cl. WILLEMET, medicus Nanceianus celeberrimus et societatis Lugdunensis sodalis etc. qui virtutes quampluri-

plurimarum Lichenum ſpecierum egregie exp[illegible] ſuit, et alio tempore praemium ab eadem ſocietate ob commentationem de remediis regni vegetabilis indigenis reportauit. Argentea autem moneta Cl. AMOREUX, Iun. Med. D. Montiſpeſſulano, ob commentationem *de ſepibus* (*les haies*) donatus eſt. Societas vero optat, vt hae tres commentationes prelo committantur.

Cum vero quatuor commentationes de remediis augendi pretium ſerici indigeni ſocietatis deſideriis minime ſatisfecerint, ſocietas hanc miſſam fecit quaeſtionem, aliamque ad artem tinctoriam pertinentem pro anno 1788 propoſuit.

Quaeſtio quoque, Newtoni problema illuſtrans, *quaenam ſint illa experimenta, quibus Newton ſuam doctrinam de refractione radiorum heterogeneorum ſuperſtruxerit, ſintne illa ita comparata vt rem doceant, an vt nos decipiant*, praemio inſignita eſt, quod Cl. FLAGERGUES, Iun. Acad. Pariſ. med. familiaris per litteras accepit, ſecundarium vero praemium Cl. ANT. BRUGMANNUS, Prof. Phil. et Math. Groningenſis. Ambae hae commentationes etiam prelo tradentur.

Quaeſtio phyſica anni 1788 pertinet ad declarandum periculum emergens ex alumine cum vino mixto. Declarandus nimirum eſt modus ac via ſimpliciſſima, tutiſſima et exactiſſima cognoſcendi, num alumen et quanta copia cum vino et quidem optimo rubro ſit mixtum. Duae monetae aureae, quarum vnaquaeque 300 libras aequat, praemii loco ſunt.

Hiſtoriae naturalis cauſa inquirendum eſt: Quaenam ſunt inſecta Francogalliae venenata? Qualis naturae et indolis eſt eorum venenum? Et quibus remediis funeſtis effectibus illorum eſt occurrendum? Deſcriptio eiusmodi inſectorum requirit generum ac ſpecierum expoſitionem ex nouis diſquiſitioni-

